

8<sup>o</sup> Theol. 1413.

416 224 113 000 13



# DOCTRINAE CHRISTIANAE COMPENDIUM

---

GYMNASIIS ATQVE SCHOLIS  
SCRIPTUM

---

AUCTORE

D. GEORG. FRIDERICO SEILER  
SEREN. MARGGRAV. BRAND. ONOLD. CULMB.  
A CONSILIIS INTIMIS IN REB. ECCLES. PROF.  
THEOL. P. O. IN ACADEMIA FRIDERICO.  
ALEXANDRINA.



---

ERLANGAE  
APUD WOLFGANGUM WALTHERUM  
cI*o*c*o*c*l**x**x**v*.



VIRIS

GENEROSSISSIMIS, PERILLVSTIBVS,  
EXCELLENTISSIMIS,

MERITORUMQUE IN UNIVERSAM REM-  
PUBLICAM GLORIA FULGENTISSIMIS

SERENISSIMI PRINCIPIS BRANDEN-  
BURGICI STATUS ADMINISTRIS ET  
CONSILIARIIS INTIMIS

GUILIELMO  
FRIDERICO  
DE BENCKENDORF.

FRIDER. HENRICO  
DE WECHMAR.

CAROL. FRID.  
REINHARD TO  
DE GEMMINGEN.

JOH. GEO. FRIDER.  
DE KNEBEL.

IACOBO CAROLO  
SCHEGK.

DOMINIS MAECENATIBUSQUE  
SVIS GRATIOSISSIMIS  
ET DEMISSA MENTIS PIETATE  
COLENDIS.




e libello hoc Nominibus VESTRIS Generosissimis inscribendo numquam profecto cogitasse, nisi iustum esse et aequum censuissimum publice tradere VOBIS id quod VESTRAE in primis originem debet auctoritati, qua commotus ad opusculum hoc conscribendum animum appuli. Cum enim Viri ii et munerum dignitate et meritorum praestantia excellentes, quibus cum vniuersae rei scholasticae in terris Onoldinis, tum Gymnasii in primis Carolo-Alexandrini, quod Onoldi floret, cura a Serenissimo ALEXANDRO, quem Deus amet, tradita est, Generosissimus Baro de LYNKER, SCHMIDELIVS, LOESCHIVS, VTZIVS, Viri Illustres et RABIVS Summe Reuerendus pro ea, quam in dirigendis iuuentutis scholasticae studiis et in exornando Gymnasio sibi commisso adhibent cura et sapientia, solliciti essent

de doctrinae christiana compendio, gymna-  
siorum et scholarum inferiorum usibus ac-  
commodato, atque a VOBIS peterent, vt  
mihi nouum aliquem huius generis libel-  
lum conscribendi munus imponeretur: vos  
inter tot ac tanta, quae quotidie vos oc-  
cupatos tenent, negotia non dignati  
estis, ad rem hanc, quae aliis forte, lon-  
ge infra dignitatis VESTRAE fastigium positi-  
tis, levis et contemnenda visa fuisset,  
animum advertere atque singulari manda-  
to hanc mihi spartam tradere, vt Theo-  
logiae compendium exararem, quod usi-  
bus iuuenum tum eorum, qui sanctiori  
disciplinae se consecrarent, tum aliorum,  
qui aliud vitae genus sequendum sibi ex-  
istimarent, in curriculo scholastico esset  
accommodatum. Cuius rei difficultas cum  
tanta primum visa mihi esset, vt dubita-  
rem, annon modestius et consultius esset,  
deprecari huiusmodi laboris grauitatem,  
vicit

vicit tamen apud me obsequium **VOBIS**,  
**VIRI SUMMI!** debitum, non quod eam de  
me spem concepisse, fore, ut **VESTRAE**  
et Scholarcharum Illustrium exspectationi  
satisfaciam, cum Viris tanta eruditione et  
sapientia praeditis nihil possit omnino pla-  
cere, nisi perfectum ingenio et absolutum,  
sed quod censerem, **VESTRAM** voluntatem  
non solum meae anteponi debere, sed nu-  
tum etiam esse aliquem Dei benignissimi,  
qui libellis meis qualibuscumque adhuc in  
iuuentutis usum editis, adeo benecupiit,  
ut et in hoc labore suscipiendo eius auxi-  
lium mihi non esse defuturum confiderem.  
Vos quidem, **MAECENATES SUMMI**, et in  
hac re, sicut in rebus gerendis omnibus,  
documentum edidistis luculentissimum, sa-  
lutem patriae adeo Vobis curae cordique  
esse, vt quidquid ad eam promouendam  
vim aliquam habere possit, sit **VOBIS**  
commendatissimum. Si vera in Deum

pietas, si iustitia et aequitas, si pacis studium firmissima sunt fundamenta, quibus publica salus nititur; spero fore, ut et ex hoc opusculo meo qualicunque utilitas aliqua ad rempublicam redundet, cuius spes est pubes scholastica. Deus, ad cuius gloriam haec omnia spectant, VIRIS SUMMI! quam diutissime saluuos atque incolumes vos seruet, PRINCIPI, NOSTRO, SERENISSIMO, patriae vniuersae, bonis omnibus mihiique denique, qui quanta Vesta in me sint beneficia, verbis exprimere non possum, sed gratissima mente semper recolam, assiduis piisque votis fausta quaevis Vobis adprecaturus. Scripsi in Academia Friderico - Alexandrina, nono Calend. Maii ccccclxxiv.

VIRIS



VIRIS  
CLARISSIMIS, DOCTISSIMIS ET DE  
REPUBLICA  
OPTIME MERENTIBUS,  
QUI BONAS LITTERAS IN GYMNASIIS  
SCHOLISQUE DOCENT

s. d. p.

A U C T O R.



um vestris atque iuuentutis curae  
vestrae a Deo traditae, commo-  
dis hoc, <sup>ualecunque</sup> sit opuscu-  
lum, scriptum et dicata<sup>vit</sup>: ad Vos potissi-  
mum me conuertam, de eius ratione et vsu  
pauca praefaturus. Etsi haud ignoro, sanctio-  
res doctrinas iuuentuti scholasticae non eum  
in finem tradi, vt latinae linguae facultatem  
aliquam sibi comparandi nanciscatur oportuni-  
tatem, cum facultas illa ex antiquis probatis-

fimae latinitatis aucttoribus haud paullo melius et rectius peti posuit, quam ex recentiorum libris: multae tamen sunt, nec nullius momenti rationes, ob quas Viris rei scholasticae peritis consultius videtur, in tradendis religionis christianaee elementis compendio seu breuiario vti latine scripto. Tantum apud me valuerunt hae rationes, quae neminem fere fugiunt, quasque eam ipsam ob causam singulas hic enumerare nihil attinet, vt in exarando libello hoc, iuuentuti scholasticae destinato, latinam linguam adhibendam esse censuerim. Ne autem legendi et intelligendi difficultas, ac pene dixerim, molestia, quam argumenti, de quo eiusmodi libelli agunt, grauitas et sublimitas pubi scholasticae sua sponte adferre sollet, styli obscuritate augeretur, dicendi generе vhus sum, quantum potui, populari et captui aetatis illius, cui hunc libellum scripsi, accommodato, singulasque doctrinas breui paucorum verborum circumscripsi ambitu, vt et intelligendi et intellecta retinendi difficultatem minuerem. Cum vero omnia religionis nostrae dogmata pendat a recto oraculorum, quibus originem suam debent, diuinorum intellectu; vt hac in re, omnium profecto grauissima, iuuenes adiuuarem, qui fontes veritatis salutaris ipfos per aetatis studiorumque rationem adire non possunt, vel, si cum maxime elementa graecae hebraeaeque linguae percepta

cepta tenent, eam tamen vtriusque linguae non sunt assequuti facultatem, vt ultra vulgaria lexica sapere et loca scripturarum rite explicare possint, loca, quibus usus sum, palmaria typis describenda curauit integra, et licet in iis latine reddendis purissimum illum elegantissimumque bibliorum interpretem, Seb. Castellionem, saepe sim sequutus, eum tamen adhibui modum, vt quoties necessitas postulasset, mutarem verba singula, ad fontium veritatem emendarem, hebraismos, quantum fieri potuit, bene latine exprimerem, complura ipse verterem. Nam habet Castellio id, vt loca difficultate aliqua laborantia ad verbum vertat. Quia vero ne sic quidem verus oraculorum diuinorum sensus in ea, quae interpretis propria est, breuitate paucis verbis semper exprimi et declarari poterat, non raro interpretationi ipsi illustrandi causa verba quaedam inferui, notulasque subinde adspersi, quibus opus esse mihi videbatur.

Verum enim vero iuueniles animi non modo veritatis salutaris notitia sunt imbuendi, sed et aduersus errorum infidias praemuniendi: quod quidem dupli ratione fieri potest, nimirum falsas contra sentientium opiniones explicatas data opera refutando, vel iis tacite quasi occurrente, cum singulas doctrinas firmis idoneisque munimus argumentis, quae erroribus contrariis adi-  
tum

tum praecludant, vel certe difficilem reddant. Evidem hanc, non illam, rationem sequendam mihi putau. Nam subtilis et plena opinionum falsarum refutatio, neque compendii scholastici breuitati, neque ingenii puerilis imbecillitati conuenire mihi videtur. Itaque fatis habui religionis christiana in maximi momenti capitibus(\*) consensum cum veritatibus, e naturae contemplatione haustis, subinde declarasse, reliquis doctorum prudentiae et arbitrio relictis.

Vniuersae religionis, consentientibus omnium, qui verum vident, iudiciis, is est finis, ut hominum animi ope eius emendentur et idoneis argumentis ad virtutis studium et ad gloriam Dei illustrandam impellantur: quem ad finem, in sanctiori doctrina tradenda, nisi omnia dirigantur, vereor, ne omnis labor irritus sit atque inanis. Est enim profecto vitae, non scholae discenda religio; itaque non dubitaui, compendio huic scholastico breues inferere meditationes, quibus legendis in iuuenum animis sensus pii et honesti gigni et ali possint: quod meum confilium, licet a vulgaris consuetudine alienum, omnibus tamen probatum iri confido, qui, quanta vis fit verae pietatis ad vniuersae vitae felicitatem, non ignorant, et iuvenes, suae disciplinae traditos, non solum doctiores, sed et meliores dimmittere capiunt.

Si

(\*) e. c. de S. Trinitate, de permissione mali, de s. coena.

Si qui sunt, qui sibi persuadeant, in tradendis theologiae elementis initium semper capiendum esse ab argumentis religionis christiana veritatem demonstrantibus, ii, quid scholis inferioribus conueniat, satis perpendere non videntur. Qui publicae disciplinae traduntur iuuenes, eam ex domoestica disciplina adferant mentem, ut religionem christianam, quam cum lacte quasi materno imbiberunt, veram esse persuasi sint, atque in ea re simpliciter fidem habeant doctoribus et scripturis f. quae ipsis a teneris vnguiculis tanquam diuinae commendatae fuere. Nondum excruciantur dubiis istis, quae adultioribus et doctoribus subinde oboriuntur. Hanc ob causam satius putauit, argumenta diuinam religionis reuelatae originem demonstrantia ad secundam libelli huius lectionem differri, quo iuuenes et maiorem linguae latinae facultatem et ingenium parti huic posteriori legendae adferant maturius. Si qui tamen de hac re aliter sentiant, nec quidquam prius antiquiusque sibi esse debere existiment, quam ut tironibus de religionis reuelatae veritate idoneis argumentis persuadeatur, ii me non habebunt valde repugnantem, poteruntque, si placet, vti iis, quae in *breui historia religionis reuelatae* CAP. XLII. XLIV. et LVII. a me sunt allata.

De optima libello hoc vtendi ratione, non est, quod multis agam. Cum enim vsus ipse optimus sit iuuentutis instituendae magister:

Gymna-

Gymnasiorum scholarumque doctores, quid hac in re fieri conueniat, experientia edocti facile videre possunt ac solent. Neque hac de re vniuerso praecipi potest, cum non sit eadem omnium scholarum ratio ac constitutio. Hoc tamen omnibus fere scholis inferioribus commune est, ut doctrina sanctior vel duabus tribusque, in quas distributae sunt, classibus separatim, vel omnibus omnium ordinum discipulis in communi ne auditorium convocatis, vna tradatur. Ii igitur, qui *primum* tractant hunc libellum id modo curent, ut singularium thesium verba probe intelligent vnumque alterumue scripturae s. locum, a doctore explicatum, memoriae insigant atque omissis iis, quae signo *crucis* notata sunt, omnibus, eas, quae maxime ipsis conuenire existimantur, theses et meditationes explicit. Deinde si *iterum* tractetur hic libellus, poterunt ea addi, quae in prima lectione omissa fuerant, si non omnia, quod forte per discipulorum imbecillitatem fieri non poterit, tamen plurima, adiunctis s. scripturae dictis et meditationibus ad pietatem excitandam scriptis. Denique si *tertia* vice tractetur, poterunt singula quaeque, quae continet hic libellus, praelegi, pro cuiusque scholae instituto explicari et quantuui fieri potest, ad sensus pietatis excitandos et confirmandos animos admoueri.

Praeter haec in tradenda a magistris scholarum theologia tria adhuc utiliter obseruari posse

posse censeo. Primum, vt iuuenes, quam pri-  
mum aliquam graecae hebraicae linguae facul-  
tatem sunt adepti, in dictis S. S. quae proban-  
tia vocamus, fontes ipsos adire iubeantur. De-  
inde vt lecta atque pertractata aliqua huius li-  
belli particula magister singulos interrogando  
discipulos, crebris quaestionebus lucem aliquam  
affundat religionis veritatibus easque bene ex-  
plicatas iuuenium animis penitus infigat. Dici  
enim vix potest, quanta sit talis examinis vis  
et ad acuenda ingenia, et ad doctrinas sanctio-  
res illustrandas animisque inprimendas. Terti-  
um denique, quod in iuuentute scholaistica, hoc  
in litterarum sanctorum genere instituenda, vtile  
futurum putem, praelectio est quaedam publica  
libri sermone vernaculo conscribendi, cuius for-  
mam animo conceptam habeo hanc, vt loca ni-  
mirum doctrinae christianaee singula populari di-  
cendi genere, quod quidem ad oratoriam subli-  
mitatem et grauitatem non affurgat, at perspi-  
cum sit et, quantum fieri potest, elegans, bre-  
uiter proponantur et explicentur: cuius libri  
praelectio, ab ipsis discipulis viua et distincta  
voce instituenda, possit vel singulis doctrinae lo-  
cis, secundum compendium scholasticum peni-  
tus absolutis, adiungi, vel per alias occasiones  
cum fructu usurpari ad intelligendi et repetendi  
facilitatem. Hac enim ratione spero fore, vt non  
modo discendi molestia tollatur, certe imminuat-  
ur, sed etiam ea, quae ex compendio latino  
non

non satis perceperint iuuenes, ope libelli, vernaculo sermone conscripti, accuratius intelligentur et commodius repetantur; vt denique ii, qui ecclesiae se dedicarint, mature praeparentur ad doctrinas sanctas populariter propo-nendas et enarrandas. Vt autem vulgaribus parentum de multitudine librorum scholaisticorum querelis occurratur, aere communi, in classe quavis collecto, pauca tantum libri huius exempla paranda esse existimaverim, quibus iuuentus deinde vti possit, uno alteroue discipulo-rum paelegente, reliquis auscultantibus. Quid de tali libello, cuius usus mihi quidem non vi-detur contemnendus, viri rei scholaisticae peri-ti iudicent, scire cupio. Ceterum vt sumnum Numen, cuius gloria non alia ratione melius promouetur, quam imbuendis rerum diuinuarum cognitione et sensu iuniorum animis, huic opu-sculo meo omnibusque, qui eo, vel ad docendum, vel ad discendum, vtentur, faveat, toto animo precor. Scripsi in Academia Fri-derico - Alexandrina, nono calendarum Maii  
cccccclxxiv.





# DOCTRINAE CHRISTIANAE

---

## CAP. I. DE DEO.

Thef. I. *Deum esse, hoc quidem hanc rerum vniuersitatem curatius consideranti ad intelligendum difficile esse non potest. Homines, quotquot cognoscimus, omnes nascuntur; unde rite colligimus et primos homines, ab alia quadam causa, originem duxisse. Terra, vita carens et intellectu, se ipsam condere non potuit, nec potuerunt sese ipsa efficere corpora coelestia, terrae similia; ergo ab alio ente, eoque intelligentia praedito, totam hanc rerum vniuersitatem conditam, huncque in ordinem et nexum, admodum sapienter constitutum, redactam esse recte censemus. Atqui hoc ens, quod*

A

vni-

## 2 DOCTRINAE CHRISTIANAE CAP. I.

vniuersum hunc mundum, homines, animalia, resque reliquas omnes formauit, Deus est.

ROM. I, 20. Inuisibilis enim, quae Dei natura sit, eiusque aeterna potentia atque diuinitas, considerandis rebus creatis, intelligitur, ita ut homines gentiles excusationem habeant nullam.

ACT. XVII, 24. 25. Deus qui fecit mundum, et quae continentur in eo, coeli et terrae dominus est — omnibusque vitam dat et halitum et reliqua omnia. EBR. XI, 3.

(†) Variis insignitur Deus in scriptura s. nominibus: אֱלֹהִים Elohim, אֱלֹהָי El, אֱלֹהָי Eloa, אֲדֹנֵי Adon, אֲדֹנַי Adonai, Θεος, κυριος: sed nomen eius proprium, quod nulli praeter Deum competit, est Iehouah. IES. XLII, 8.

(†) Thef. II. *Argumenta omnia quibus religionis christiana veritas euincitur, probant et hoc, Deum esse. Ex propheta rum enim vaticiniis, quibus euentus accurate respondit, intelligitur, Deum esse, qui res mundanas humanique generis mutationes ita constituerit, ut quae praedicta sint, euenirent. Christi atque legatorum eius miracula, eiusdemque e morte resurrectio*

rectio confirming, eum vere fuisse, quem se esse diceret, summi Dei filium. Mirabilis doctrinae euangelicae efficacia, qua, quod multa ante saecula praedictum erat, idolorum cultus maximam partem est extirpatus, qua hominum innumerabilium mentes emendatae, viribus nouis ad omne virtutis genus sequendum largiter instruetae, spe, solatio, suauissimaque animi tranquillitate impletae sunt, probat luculentissime, religionem nostram esse veram, et, quod ex eo consequitur, esse Deum, qui per eius doctrinas vim suam omnipotentem exserat.

*Obs.* Sic olim hominum gentilium multi miraculis apostolorum et reliquorum ecclesiae doctorum conuicti sunt, eum, cuius cultum illi stabilire conabantur, Deum esse verum.

## MEDITATIO.

Quis adeo animo coecutiat, vt te o Deus omnipotens! in tuis operibus praesentem non conspiciat? quis adeo omnis sensus expers, vt te tuamque vim non sentiat animo? omnes, quotquot continentur in mundo, res caducae sunt, mutationibus multis obnoxiae; oriuntur, senescunt, pereunt. Tu omnium rerum fons et principium omnibus largiris naturam atque

#### 4 DOCTRINAE CHRISTIANAE CAP. I.

vim; constituis, quem occupent, locum, quem ordinem, quod tempus. Tu solem mirifice splendentem, tu lunam condidisti stellasque innumerias; tu terram ornasti frugibus, profunda iecisti maris fundamenta, fluminum cursus descripsisti, animalium corpora mirifica structura, hominum mentes multis atque praeclaris exornasti perfectionibus. O quam magna sunt opera tua! quam admirabilia! Laudamus te, adoramus te atque demissa mente gratias semper agentes in tui nominis gloriam pium praeftabimus tibi obsequium!

Thef. III. Attributa diuina sunt proprietates eae, quae Deo necessario insunt.

Thef. IV. Attributorum diu. genus triplex est: Sunt nimirum

1. *Negatiua*, quibus imperfectiones a Deo remouentur; sic exempli causa in Deum mutationem cadere, merito negatur. *Positiua*, quibus perfectiones Deo tribuuntur; e. c. sapientia, iustitia.

2. *Operatiua*, quorum in rebus creatis vis et operatio cernitur; e.g. omnipotentia. *Quiescentia*, quorum minus, e. c. aeternitas.

3. Mo-

**3.** *Moralia*, quorum vinculum cum voluntate Dei necessarium est; e.g. bonitas, iustitia. *Naturalia*, quorum minus; e.g. omnipraesentia.

Thef. V. *Deus est immutabilis, b. e. ab omni variatione alienus.* Hanc entis infiniti perfectionem ut rite cognoscamus, probe consideranda sunt singula momenta sequentia:

**1.** Naturam Dei aliam esse non posse.

MAL. III, 6. Ego Iehouah mutabilis non sum.

IES. XLIII, 13. Ego Iehouah ex omni aeuo sum idem.

**2.** Voluntatem eius non mutari; quia intellectus sui cogitationes eaedem semper sunt.

**3.** Nec loci mutationem in Dei naturam cadere; quia semper ubique est, quod probatur in sequentibus.

Thef. VI. *Deus est aeternus, b. e. existentia eius nec initium habet, nec finem.*

*Prob.* **1.** Quia se ipsum gignere et procreare non potuit, nec rationem, cur existat, habet in alio.

## 6 DOCTRINAE CHRISTIANAE CAP. I.

2. PS. CII, 25-28. Tu olim terram fundasti, manuum tuarum opus sunt coeli. Illi peribunt, *tu permanebis — tu semper es idem*, et anni tui finem non habebunt.

3. I.TIM.I, 17. Regi saeculorum (auctori et domino omnium rerum creatarum in tempore existentium) *immortali*, inuisibili, cuique soli summa competit sapientia, Deo sit honor et gloria in saecula saeculorum, Amen.

### MEDITATIO.

In te potissimum ponam fiduciam meam, o Deus aeterne, immutabilis! ceterae enim res praeter te omnes in horas mutantur, nec securum spei nostrae praebent fundamentum. Tu perennis salutis nostrae fons es atque principium. Rogo te, Pater coelestis! animum meum velis ita componere, ut in ea feratur, quorum natura est immutabilis atque aeterna, res autem caducas et corruptibles, non pluris, quam par sit, faciat. Fac, ut id in primis menti meae haereat alte infixum, me mortalem quidem esse genitum, at praeditum anima mori nescia, cuius saluti aeternae mature ac diligenter prospicere summa sit sapientia.

Thef. VII. *Deus est ens simplex: omni caret compositione.*

Nam

Nam si compositus esset, mutationi foret obnoxius. Mutationem in deum cadere nullam probauimus Thes. V.

Thef. VIII. *Deus est spiritus: b. e. ens simplex intellectu et voluntate praeditum.* Hoc patet ex eo:

1. quod nos voluntate et intellectu praeditos condidit.
2. patet ex rerum creatarum omnium natura et dispositione admirabili.
3. probatur singulis fere paginis scriptae s. Nota tamen loca:

PSAL. XCIV, 9. 10. Qui aurem plantauit, numne ille non audiat? oculum qui formauit, nonne et ipse videat? qui gentes erudit, qui homines scientiam docet, ille eosdem non redarguat?

ROM. XI, 33. 34. O quantam copiosae sapientiae intelligentiaeque profunditatem! quam penitus recondita sunt eius decreta! Quis mentem cognovit domini? Quisnam ei fuit a consiliis?

#### MEDITATIO.

Conditor et Pater omnium spirituum! qui naturis cunctis intelligentia praeditis cogitandi vim largiris et liberae voluntatis! Gratias agimus

## 8 DOTTINAE CHRISTIANAE CAP.I.

mus tibi, quod et nos praeditos esse voluisti anima, quae intellectu et libertate exornata, tui sit similis. Da nobis et eam piae erga te mentis affectionem, ut cultum tibi praestantes debitum, sicuti filius tuus praecepit, *animo bene composito, ipso spiritu ueraque mentis integritate te adoremus* \*).

Thef. IX. *Deus est spiritus independens.*

1. A nullo alio id habet, ut *existat*.

IES. XLI, 4. Ego Iehouah sum primus, ego ultimus, semperque idem.

2. Nulli est *subiectus*. Ipse enim omnia reliqua creauit, omnibusque imperat.

PSAL. CXV, 3. In coelis Deus noster est, quaecunque vult, efficit.

PSAL. CXXXV, 6. Omnia quae vult, Iehouah peragit in coelis, in terra, in mari locisque profundissimis.

### MEDITATIO.

Quando, quae tua sit a nullo pendens vis et summa maiestas, pie cogito, animo demisso te veneror, o alme conditor et imperator omnium! recipe et me subditum tuum, a te uno maxime pendentem, tuae voluntati se pia mente subiicientem, te tuumque nomen, (te op-

\* ) IOH. IV, 24.

opitulante) per omnem vitam sincero virtutis studio gloriificaturum.

Thef. X. *Deus est inuisibilis; b. e. eius essentia et natura a nemine sensibus percipi potest.*

1. *Quia est spiritus.*

2. *Quia est vbique.*

3. I.TIM. I, 17. Regi saeculorum etc. p. 6.

I.TIM. VI, 16. Deus, qui solus est immutabilis, qui in lumine habitat, ad quod accessus non datur, quem hominum nec vident ullus, nec potest videre: illi fit honor et gloria sempiterna.

Thef. XI. *Deus est omnipraefens, hoc est, vbique vi diuina immediate operatur.*

Nam

1. *Deus res creatas omnes conseruat; ergo vbique operatur.*

2. IER. XXIII, 23. Numne Deus ego sum, inquit Iehouah, qui propinquus modo (homini) fit, sumne et idem in remotis regionibus? Quisnam est, qui ita occultare se possit, vt illum non videam? inquit Iehouah, nonne coelum et terram impleo? (vi mea immediate adsum vbique et operor).

## 10 DOCTRINAE CHRISTIANAE CAP. I.

PS. CXXXIX, 7. Quo abeam, vt spiritus tuus (visque omnipotens) me non inueniat? Quo fugiam, vt tu mihi non praefensis sis? Si coelum ascendero, ibi tu es; si in orco cubare (atque lecto me quasi contegere) velim, ibi tu quoque es. Si alis aurorae auffugero ad maris extremitatem, tamen et ibidem manus tua me tenebit, dextraque comprehendet.

ACTOR. XVII, 27. 28. Non procul (Deus) ab unoquoque nostrum est, siquidem in eo viuimus, mouemur et existimus.

### MEDITATIO.

Si nullus locus tam abditus, vbi te possum latere o Deus! quam vanus sim, vel potius quam stultus, si remotus ab hominum oculis peccatum ausim committere, cuius patrandi licentia ne quidem coram hominibus honestis usurpus sim. Tu ubicumque locorum circumdas me, tu me persequeris: tuam verebor praesentiam, magis quam hominum. Sie te habebo rectorem vitae meae et omnis fortunae protectorem fortissimum. Nihil unquam timebo, tu mecum es!

THEF. XII. *Deus est omnipotens, omnia facere potest, quae a natura sapienti fieri possunt.*

1. Quia res creatae omnes eius imperio subiectae sunt.

**2. PS. CXV, 3.** Deus noster in coelis est,  
omnia quae vult, efficit.

**IER. XXXIII, 17.** Nihil tam mirabile est,  
vt tu non facere possis.

**LVC. I, 37** Nihil est, quod Deo fit im-  
possibile.

### MEDITATIO.

Quis te non reuereatur? o Deus omnipotens! Quis infinitam tuam vim et potentiam non extimescat? Coelum et terram, solem, lunam, stellasque innumerabiles, *verbo*, hoc est, *voluntatis tuae* nutu et efficacia creasti; vi tua omnibus locis praesenti et in omnibus operanti res creatas conservas et regis. Loqueris, et fit; iubes, et existit. Omnia subiecta sunt pedibus tuis. Subiectae sint et mentes nostrae regimini tuo, o rex potentissime! vt te timeant; vt legibus tuis libenter obtemperent; vt in te suam collocent spem et fiduciam. Tu enim in omnibus vitae casibus calamitatibusque promptum nobis ferre potes auxilium; tua vi tuisque stipati praefidiis, nullum extimescemos periculum et ne mortem quidem paugebimus.

**Thes. XIII.** *Deus est omniscius, hoc est, omnia cognoscit, quae sunt, fuerunt, futura sunt et fieri possunt, accuratissime.*

**1. Nam**

## 12 DOCTRINAE CHRISTIANAE CAP.I.

1. Nam qui valet efficere omnia, omnia cognoscat necesse est.

2. IOB. XLII, 2. Noui te, o Deus mi, cuncta facete posse, et nullam esse cogitationem, quae te lateat.

PS. XCIV, II. Iehouah scit cogitationes hominum.

PS. CXLVII, 5. Cogitationes Dei sunt innumerabiles (infinitae).

PS. CXXXIX, 2. 3. 4. Tu perscrutaris me, o Iehouah! et cognoscis me. Tu nosti quando surgam, quando fedeam; intelligis cogitationes meas e longinquo. Tu comprehendis et nosti viam meam et meum accubitum, omnes actiones meas habes exploratas, nullum est verbum lingua mea prolatum, quod Iehouae ignotum fit.

IOH. III, 20. Si mens nostra nos condemnat, Deus mente maior est, atque scit omnia.

### MEDITATIO.

Si quis haberet cognitas omnium hominum familias singulorumque vitae genus, nomina et officia; vel si omnia litterarum genera dicisset omnesque calleret gentium linguas, quanto plausu quantaque admiratione plurimi illum essent excepturi? Sed enim quam effet exigua eiusmodi rerum multarum notitia, si

com-

compararetur omniscienciae Dei, qui omnium quotquot vñquam fuerunt, sunt et futuri sunt, hominum non modo genus, natales, nomina et officia, sed et sermones, mentis cogitationes motusque omnes, qui rerum cunctarum, quae sunt et quae fieri possunt, formas, naturas, mutationesque ratione distinctissima habet perspectas. Quis hanc tantam tamque mirificam omnium rerum scientiam non admiretur, non mente veneretur demissa ! O Deus ! qui non solum actiones, sed et animi mei consilia vides atque intelligis, fac vt nunquam non memor sim, me testem habere te omnium cogitationum mearum atque verborum; vt nihil loquar, quod a te nolim audiri ; vt tuo auxilio adiutus omnibus viribus enitar, mentem seruare scelere puram; ne tibi displiceam, tuoque amore reddar indignus.

(†) Thes. XIV. *Cognoscit Deus omnia,*

1. sine sensatione et imaginibus.
2. sine successione et ratiocinio.
3. distinctissime certissimeque.
4. simul.
5. ab aeterno.

Nam est spiritus purissimus, est omnipraesens, est immutabilis et aeternus.

Thes. XV. *Deus res futuras praescit quam certissime.*

1. Quia

14 DOCTRINÆ CHRISTIANÆ CAP.I.

1. Quia cognoscit omnia et est immutabilis.
2. Patet etiam ex eo, quod, quae a vatibus diu. praedicta essent, cuncta euenerint.
3. IES. XLII, 9. Res nouas (futuras) indico, easque antequam progerminent notas facio vobis.

ACT. XV, 18. Ab aeterno perspecta habuit Deus opera sua.

Thef. XVI. *Deus est sapientia summa praeditus, b.e. ad optimos fines consequendos media eligit conuenientissima.*

Hoc patet

1. ex rerum naturalium ordine et nexu sapientissime constituto.
2. ex eo, quod omnium rerum causas et effectus optime intelligit. Est enim omniscius.
3. PS. CIV, 24. O quam multa sunt opera tua! cuncta sapienter fecisti: terra est plena rerum tuarum.

IER. X, 12. Fecit (Iehouah) terram sua vi, formauit orbem sapientia, coelos expandit intelligentia sua.

ROM. XI, 33. vid. p. 7.

I.TIM. I, 17. vid. p. 6.

## M E D I T A T I O.

Sapientiam tuam, o Deus! in omnibus manuum tuarum operibus conspicuam, latentem in terrae frugibus atque in mirabili arborum, florum, animaliumque structura, ex sole stellisque, ut ita dicam, exsplendentem, animo attento considerare, scrutari, venerari, hic mihi fit vitae meae labor dulcissimus, haec requies, hoc ornamentum otii mei. Largiaris modo seruo tuo sapientiam veram summamque; ut non modo fiam eruditior, sed pius in te tuique obsequentiissimus. Sic spes mea in te posita, profecto me nunquam fallet. Tu quid vtile mihi fit et necesse, optime intelligis; tu vitae meae casus et mutationes ab aeterno praeuidisti omnes; tibi nota sunt remedia, quibus opus est, ut saluti meae prospiciatur. Tibi si gratus sim, omnia cedent ex voto, et si non semper ex voto animi mei, quid optimum sit non intelligentis, certe ad aeternam meam salutem tuamque gloriam.

Thef. XVII. *Deus ab omni est imperfectione remotus, et quidem*

1. *bonus*, in omni sua natura, *ἀγαθός*,  
MARC. X, 18. *τέλειος*.

2. *verus*, quod ad intellectum attinet,  
omnes eius cogitationes veritati et  
rerum naturae consentiunt. PSAL.

CXIX,

## 16 DOTEINAE CHRISTIANAE CAP.I.

CXIX, 160. Alienus ideoque est ab omni errore etc.

3. *sanc&tu*s, omne peccatum auersatur, omne bonum vult et promouet.

Patet hoc

a. ex eo, quem constituit, rerum nexu.

b. LEVIT. XI, 44. Debetis enim, quemadmodum ego Iehouah Deus vester sanctus sum, vos quoque sanctitati studere, sanctique esse.

ps. V, 5. Non enim is Deus es, cui placeat malum', cuiue familiares mali sint. Coram te confistere non licet vanis iactatoribus; odisti maleficos omnes.

### MEDITATIO.

Nulla natura, praeter diuinam, ab omni imperfectionis labe immunis est. Deus solus est bonus, remotus ab erroris periculo omnique numero absolutus. Nihilominus Deus ille sanctissimus me, hominem, peccato contaminatum, dignatus est suo consortio suoque amore. Quid magis mihi optandum est votisque piis efflagitandum, quam vt corpore pariter ac mente purus sim Deoque officiar similis. Veni sancte Spiritus! purga hanc animam, Deo dicatam, vt omne auersans peccatum, verum semper videat, errorem euitet, non amet nisi quod bonum, non velit nisi quod Deo gratum sit.

Thef.

Thef. XVIII. *Deus amore summo et benignitate incredibili fertur in omnes res creatas, in primis spiritus, obsequium sibi praestantes.*

*Prob. 1.* Intelligitur hoc ex incredibili beneficiorum copia, qua exornat homines.

*2.* Qui sapiens et sanctus est, non potest non amare bonos iisque benefacere.

*3.* ps. XXXI H, 5. Iehouae benignitate orbis terrarum plenus est.

*ps. CVI, 1.* Celebrate Iehouam, quia benignus, quia aeternae est clementiae.

*ACT. XIV, 17.* Non intermisit Deus benignae naturae suae documenta edere; siquidem nobis benefaciens, de coelo pluviam frugiferaque dedit tempora, atque cibis et laetitia nostros expleuit animos.

*IOH. III, 16.* Sic Deus humanum genus amauit, vt filium suum daret unigenitum, vt quisquis in eum credat, non pereat, sed vitam obtineat sempiternam.

*EXOD. XXXIV, 6.* O Iehouah misericors et exorabilis, tardus ad iram, eximia ratione benignus atque fidelis; seruans benignitatem posteris usque ad mille generationes, iniquitatem condonans delictaque atque peccata.

## 18 DOCTRINAE CHRISTIANAE CAP.I.

PSAL. CIII, 13. Sicuti miseretur pater libe-  
rorum, sic Iehouah reuerentium se.

PS. CXLV, 9. Benignus Iehouah est erga  
omnes et in omnibus suis agendi ratio-  
nibus lenitate vtitur.

(†) *Obs.* Amat Deus et malos homines qua-  
tenus est in illis aliquid boni. Inde distin-  
guitur amor Dei in *vniuersalem*, quo omnes  
complectitur, et in particularem, quo fertur  
studio singulare in bonos. MATTH. V, 45.

### MEDITATIO.

Tota, quanta quanta est rerum creatarum  
*vniuersitas*, benignitatis tuae testis est o Deus  
clementissime ! terra mariaque et flumina, sal-  
tus et prata referta sunt animalibus frugibus-  
que benevolentiae tuae donis, homini iucun-  
dissimis. Nobis sol lucet, luna splendet, bruta  
seruiunt, aues canunt, fontes ad fitim restin-  
guendam aquam suppeditant, florum colores  
oculum, eorumdem odor animum suauiter affi-  
cit; quam bona sunt, quam iucunda Iehouae  
opera ! Benignus est Deus, aequus, miseri-  
cors, ad condonandum peccata procliuis. Sa-  
turat famelicum, tristes dulci solamine erigit  
animos, omnium miseretur, omnium saluti ceu  
pater prouidet. Laudate Deum, cuius natura  
est in amore posita ; amate Deum o pii nu-  
minis sui cultores ! et eius nutui obedientes,  
eum submisso animo veneramini !

Thef.

Thef. XIX. *Deus est iustus, b. e. in mundo regundo sapientia semper vtitur et bonitate; seu: in gubernando mundo ita versatur, vt spiritus intelligant, eum amare bonum et odio habere malum.*

ps. XI, 7. *Iustus est Deus et amat iustitiam.*

DEVT. XXXI, 4. *Omnes Dei actiones iustae sunt; fidelis est, remotus ab omni iniquitate, iustus et aequus.*

ps. XIX, 9. *Mandata Iehouae aequa sunt, mentem laetificantia. Praecepta Dei pura, illuminant oculos.*

ps. CXLV, 17. *Iustus est Iehouah in omnibus actionibus, probus et sanctus in operibus suis.*

ps. LXII, 13. *Tu, o Iehouah, benignus quidem es; sed et retribuis vnicuique secundum opera sua.*

ROM. II, 6-8. *Deus suis cuique factis digna soluet; iis, qui recte faciendo, in bono perseuerantes, gloriam honoremque et immortalitatem quaerunt, vitam semipiternam; contentiosis autem iisque, qui veritati resistentes sectantur iniquitatem, poenas seueras, calamitatem et angustiam.*

#### MEDITATIO.

*Deus, qui summum bonum est, leges non potest ferre alias, nisi bonas. Sit ergo iucun-*

## 20 DOCTRINAE CHRISTIANAE CAP.I.

dum mihi seruare mandata domini ac benignissimi patris mei. Iouae paecepta bona et aequa sunt, quae qui obseruat, magnum ei est praemium constitutum. PS. XIX, 13.

Nulla est bona, nec vel minima actio, quam Deus non largo remuneretur stipendio. Haec sit sententia alte mihi in mente defixa, ut animum ad bona quaevis peragenda stimulet, ut nunquam fugiam breve laboris taedium, ut praemium industriae constitutum, numquam ex oculis dimittens, in stadio bonorum operum indefesse curram et metam feliciter assequar.

Omne opus, quamlibet occultum, fistet Deus ad iudicium, tum bonum, tum malum, ECCL. XII, 14. O Deus, iudex omnium spirituum! ne in ius tecum venito, neque secundum strenuam iustitiam tuam tecum agas, nam coram te nemo mortalium infons reperitur! Duc me in grata tibi virtutis via, ut omnia fugiam scelera atque vel maxime occulta euitem peccata; ut ne tremens aliquando et poenas extimescens, sed animo potius laeto coram iudicio tuo comparere possim.

Thef. XX. *Deus est veracissimus, a veritate in rebus gerendis nunquam aberrat.*

1. Quia est sapiens et benignus.
2. Quia, experientia teste, promissis stare solet accuratissime,

3. PS. XXXIII, 4. Quicquid Iehouah loquitur et efficit, rectum et bonum est!

PS. XXXI, 6. In manus tuas commendo spiritum atque vitam meam, tu redimes me ex omni periculo, o Deus verax atque fidelis.

2. SAM. VII, 28. Iam vero Iehouah, o Deus mi! verba tua maxime vera sunt.

1. SAM. XV, 29. Constans et verax Deus Israelis nunquam mentitur, neque similis est homini, quem, quod loquitur, poenitere possit.

EBR. VI, 18. Ut Deus mentiatur, fieri non potest.

*Obs.* Veracitati eius non obest, ad tempus veritatem celare. Exempl. GEN: XXII.

### MEDITATIO.

Veritate fit mihi nihil umquam potius, nihil in vita prius. Deus enim veritatis amans est, oditque omne mendacium. Quodsi vel omnes verbis circumuenire possem homines, illi, cui nihil occultum est, meae tamen patterent cogitationes et animi sensa. Erubescit mendacii conuictus coram hominibus: me non pudeat coram Deo omniscio opprobrium committere? hypocritae personam induere? spiritui mendaci et hominibus prauissimis similem fieri? o Deus veracissime! largiaris mihi spiritum tuum, qui spiritus veritatis est! ne permittas,

## 22 DOCTRINAE CHRISTIANAE CAP.I.

mittas, vt lingua mea abutar vitio committendo; siue vt poenam timens, mendacio me purgandi confilium capiam; fac potius, vt veritati studens in omnibus vitae meae actionibus sermonibusque tui sim. similis, quo a te bona quaevis mihi sperare liceat. Tu enim quae promisisti, omni fide soles seruare; in te tuoque auxilio fiduciam meam collocans, veritati usque ad mortem me adhaesurum spondeo atque sancte promitto.

Thef. XXI. *Deus est voluntate praeditus liberrima.*

Voluntas libera est vis eligendi bonum, secundum repraesentationes intellectus distinctas.

1. Deum bona eligere probatur ex eo, quod sapiens est. Sapientissimus enim quiuis ex bonis eligit optima.
2. Libertate autem vti in eligendo, intelligitur ex eo,
  - a. quod mundus, quem elegit, non est necessarius.
  - b. quod secundum repraesentationes intellectus distinctissimas, *libenterque* hunc, non aliū elegit mundum.

Ideo-

Ideoque multis scripturae s. locis dicitur Deus agere pro beneplacito suo (*εὐδοκία*); MATTH. XI, 26. EPH. I, 5. 2.SAM. XV, 25. PS. CXV, 3.

(†) Thes. XXII. *Voluntas diu. recte distinguitur in antecedentem et consequentem.*

1. *Antecedens* est, qua fertur in omne bonum;

ΙΟΗ. III, 16. Ι.ΤΙΜ. II, 4. 2.ΠΕΤΡ. III, 9.  
sed non omnia in hoc mundo existere possunt bona; quam ob rem Deus secundum sapientiam suam decernit efficere et permittere ea, quae in hoc rerum creatarum nexu existere possint.

2. *Voluntas consequens* est, qua Deus vult efficere atque permittere, quae vere vñquam existunt.

Thes. XXIII. *Gloria Dei interna est complexus omnium perfectionum, quibus infinita eius natura exornata est.*

EXOD. XV, 11. *Quis Deorum tibi par est Iehouah, quis tibi magnifico atque sancto comparandus, o venerande, laude dignis-*

24 DOCTRINAE CHRISTIANAE CAP. I.

dignissime, qui facere soles res adeo mirabiles!

*Gloria Dei externa* est honor, qui ei oritur ex rerum creatarum perfectionibus.

PSAL. CXLV, 3.5.6.7.8. Adeo magnus es o Iehouah, adeo laudabilis, vt tuae perfectiones omnem excedant mensuram. Honorem, gloriamque tuam et maiestatem praedicabo; potentiam tuam formidabilem homines laudabunt et ego canam de maximis perfectionibus tuis. Tuae eximiae bonitatis praedicabitur memoria, cantibus extollentur virtutes tuae. Facile exorabilis et misericors Iehouah est, ad iram tardus, clementia magnus.

Ad hanc gloriam externam pertinet *ius maiestaticum* et *imperium* Dei in omnes res creatas.

DEVT. X, 14. Deo sunt omnes coelorum regiones omnesque mundi plagae, ei terra et quicquid in ea est.

THEF. XXIV. Summa *Dei* felicitas continetur in eo, vt fruatur summis perfectionibus sempiternaque inde oriunda laetitia.

PSAL. XVI, 11. Apud Deum plena est gaudiorum copia, eoram ipso perennes sunt voluptates.

X.TIM. I, 17. vide pag. 6.

## M E D I T A T I O ,

O Deus ter optime maxime! qui in te habes reconditos omnes verae perfectionis atque Salutis fontes; qui summa, pura perpetuaque frueris felicitate, te supplex veneror atque cum omnibus spiritibus bonis in tota rerum vniuersitate te celebrantibus, laeto animo summas tuas extollo laudes. Potens et fortis, benignus, misericors, iustus, sanctus est Dominus! omnes vniuersi regiones eius gloria plenae sint! In te quaeram summum bonum et veram meam felicitatem; in te auxilium, requiem, gaudia, salutem animae meae. Si tuo mihi frui licet dulci consortio, longe praefat mea salus omnem humanam felicitatem. Ad te saepius extollam me piis precibns occultisque animi spiriis, Sic a te nouis semper viribus exornatus, ad imaginem tuam informatus, omnibus enitar neruis intentis, ut fiam *perfectus, sicuti et pater meus in coelis perfectus est.*

Thef. XXV. *Vna tantummodo est natura seu substantia aeterna, quae appellatur Deus,*

DEVT. VI, 4. Audi Israel, Iehouah Deus noster, Iehouah unus est.

IES. XLIV, 6. Ego primus idemque ultimus, praeter me Deus est nullus.

## 26 DOCTRINAE CHRISTIANAE CAP.I.

IES. XLII, 4. Ego Iehouah primus idemque cum rebus existam vltimis, ego semper sum idem.

I.COR. VIII, 6. Nobis vnuſ est Deus; pater, a quo omnia, in quo et in cuius honorem nos; vnuſ Dominus Iesuſ Christuſ, per quem omnia, per quem et nos existimus.

Theſ. XXVI. *Haec ſubſtantia in ſe comprebendit tres, ſeu (concreta, vel) ſuppoſita tria, non extra ſe inuicem exiſtentia, quibus perfectiones infinitae, numero eaedem, diuerſo modo competunt.*

Theſ. XXVII. *Complexus perfectionum infinitarum, tribus in Deo ſuppoſitis compeſtentium, eſt eſſentia diuina.*

Theſ. XXVIII. *Suppoſitum, cui eſſentia diu. compeſtit, eſt perſona diuina.*

Theſ. XXIX. *Iam probandum eſt, tria eſſe in deo ſuppoſita, quibus eſſentia diu. ſeu perfectiones infinitae compeſtant.*

Theſ. XXX. *Patri quidem eas compeſtere, nemo negat. Filio autem has perfectiones ineſſe, ita probatur.*

I. Filius est suppositum a patre diuersum;  
Nam

1. filius se semper distinguit a patre.
2. Generans et generatus diuersi sunt.
3. Pater misit filium, non filius patrem.

II. Atqui cum huic filio, supposito a patre diuerso, opera diuina perfectionesque diuinae tribuantur, idemque cultu diu. afficiendus sit: sequitur, filium aequae ac patrem verum esse Deum.

A. Primum, filius expressis verbis Ieho-  
uah Deus appellatur.

1. Nam Iohannes dicitur antecedere Iehouam, Deum suum; Iohannem autem antececessisse Iesum Christum notum est. Lvc. I, 16. 17. Et ille (Iohannes) conuertet, reuocabit multos Israelitas ad dominum (Iehouam) Deum suum, et ipse eum antecedet spiritu et potentia, perinde ac olim Elias, praeditus.

2. A Iohanne *Deus* appellatur. IOH.  
I, 1. In principio erat verbum (*ο λόγος*) et verbum erat apud Deum, et *Deus erat illud verbum.*

3. Di-

3. Dicitur summus Deus, ROM. IX, 5.  
 quorum (Israelitarum) sunt patres  
 (Abraham, Isaac, Jacob etc.) ex  
 quibus Christus est, quod ad hu-  
 manitatem attinet, qui *summus* est  
*Deus* collaudandus in omnem ae-  
 ternitatem; ita fiat. Amen!
4. Iesus Christus dicitur *Deus* appa-  
 rens in corpore humano. 1. TIM.  
 III, 16. Deus apparuit in corpore  
 (*ἐν σώματι*).
5. Ille qui IES. VI, 1. etc. *Iehouah* di-  
 citur, est filius Dei, Iesus Christus,  
 quod probatur ex loco ION. XII, 40.

Nomen autem *Iehouah* est no-  
 men Dei proprium, nec alii pree-  
 ter Deum in scriptura s. tribuitur.  
 IES. XLII, 8. Ego *Iehouah*, hoc  
 est nomen meum; gloriam meam  
 alteri laudemque meam simulacris  
 non concedam.

- B. Deinde vero filio Dei opera diuina  
 tribuuntur.
1. Mundum creauit. ION. I, 3. omnia  
 per eum (Filium Dei) facta sunt,  
 et

et absque eo rerum creatarum nulla orta est. COL. I, 16. Per eum enim (Dei Filium) condita sunt omnia, cum quae in coelis, tum quae in terra sunt, cum ea quae sub sensus cadunt, tum inaspectabilia, throni, dominatus, principatus et potestates, (hoc est, omnes angelorum ordines omniaque rerum praestantium genera) omnia et per eum, et in eius gloriam sunt condita. 1.COR. VIII, 6. vid. pag. 26. Nobis vnum Deus est etc.

2. Omnes res creatas conseruat. EBR. I, 3. Ille (Filius Dei) est imago splendens gloriae (Dei Patris) et forma expressa naturae ipsius, atque fert cuncta per vim atque voluntatem suam efficacissimam. COL. I, 17. Is (Dei Filius) est ante omnia, atque per eum omnia subsistunt.

3. Omnia gubernat. 1.COR. XV, 27.

C. Porro eidem perfectiones tribuuntur diuinæ.

I. Omni-

**1. *Omnipotentia*** atque *omnipraesentia*: nam omnia creauit, omniaque gubernat, ideoque omnipotens et omnipraesens sit necesse est. Quod etiam patet ex Ioh. X, 30. Ego et pater vnum sumus. Quae verba non de vnitate voluntatis, sed de vnitate potentiae atque adeo essentiae intelligenda esse, atque ita a Iudeis intellecta esse, patet e sequentibus. Iam si vnitas essentiae intercedit patrem inter et filium, hic est, vbiunque pater est.

**2. *Omniscientia*.** Nam qui omnia sapientissime gubernat, cognoscat necesse est, et quae sunt et quae fieri possunt.

**3. *Aeternitas*.** Nam qui omnipotens, omniscius rerumque omnium creator est, is verus sit Deus, necesse est. Cum autem Deus sit immutabilis, sequitur, eum semper sic fuisse, vti iam est. Ex quo colligitur, Filium Dei, quia Deus est, semper idem fuisse, quod nunc est.

**4. Omnes**

## 4. Omnes perfectiones diu. col.II, 9.

In eo (Iesu Christo) habitat tota vis et essentia omnesque perfectiones diu. naturaliter atque re vera.

(†) *πλήρωμα* enim denotat omne, quod est in aliqua re, e. c. omne quod est in terra, PSAL.XXIV, 1. omne quod est in mari, PSAL. XCIII, 7.

## D. Tandem et honore diu. colendus est.

1. Nam ad colendum filium Dei aequae ac patrem baptismate initiamur atque obligamur. MATTH. XXVIII, 19. Vadite ad omnes gentes easque euangelium edocetas baptizate in nomen (ex mandato atque ad colendum nomen) Patris, Filii et Spiritus Sancti.

2. Omnes iubentur filium aequae honore ac patrem. ION. V, 23. Omnes filium honorent, *quemadmodum* patrem *honorant*; qui Filiū hoc honore non prosequitur, ille honorem denegat Patri, qui Filiū misit.

3. Fi-

3. Filius *adorandus* est, sicuti pater ab hominibus atque angelis omnibusque creaturis.

PHIL. II. Deus deinde summopere eum extulit et nomine atque honore donauit summo, ut ad nomen Iesu (ad eum colendum) omnia se flectant coelestium, terrestrium atque subterraneorum genua, omnesque linguis suis consiteantur, dominum (rerum omnium) esse Iesum Christum.

EBR. I, 6. Eum (Filium Dei primogenitum) adorent omnes angeli.

Cum praeter Deum aliquid adorare et cultu diu. prosequi, sit maxime vetitum, sequitur Iesum Christum, adorandum ab omnibus creaturis, esse Deum summum. Praeter Deum adorandum esse neminem, ex locis:

DEVT. VI, 13. 14. Iehouam Deum vestrum timete, eique *seruitote*.

IES. XLII, 8. vid. pag. 28.

MATTH. IV, 10. Scriptum est enim, dominum (Iehouam) Deum tuum *adorato eumque solum colito*.

4. In nomine filii benedicunt apostoli Christianis; cum autem benedictio hominibus

minibus non nisi in nomine Dei summi impertienda sit; colligitur inde, Iesum Christum esse summum Deum.

NVM. VI, 33. Israelitis bene precamini *hifice verbis*: benedicat tibi Iehouah et custodiat te; illustret te Iehouah facie sua, et sit tibi propitius; attollat Iehouah supra te faciem suam largiaturque tibi pacem; h. e. det vobis Deus largam beneficiorum omnis generis copiam.

Huius dicti argumentum solatii plenum, alia loquendi ratione religioni N. Testamenti accommodata, his verbis exprimitur 2. COR. XIII, 13. Fauor et benevolentia domini nostri Iesu Christi, Dei (Patris) amor, et sancti Spiritus communio, vobis adsit omnibus.

Thef. XXIX. *Spiritui S. denique eaedem perfectiones diu. nomina et opera tribuuntur.*

(†) I. Principio \*) probandum, Spiritum S. *suppositum esse*, nec vim tantum diuinam: quod constat

A. ex omnibus locis, in quibus nomine proprio insignitus, Patri et Filio tamquam tertius adiungitur.

I. M A T T H.

\*) Totum hoc *primum membrum* usque ad (F) in classibus inferioribus omissendum esse videtur.

C

**34 DOCTRINAE CHRISTIANAE CAP.I.**

1. МАТTH. XXVIII, 19. vide pag. 31.

2. 2.COR. XIII, 13. vide supra.

3. I.PETR. I, 2. Iis, qui secundum Patris  
decreta atque praescita ad salutem ele-  
cti, per Spiritum S. iustrati atque ad  
obedientiam Christo praestandam iusti-  
tiamque, eius sanguine partam, conse-  
quendam destinati sunt, pacem appreco.

B. I.COR. II, 10. vbi Spiritus S. dicitur,  
omnia scrutari, quae actio suppositi est.

C. ІОН. XV. et XVI. saepius *παράκλητος*  
nominatur, quo nomine et Christus  
insignitur, I.ІОН. II, 1.

D. Quin imo ἄλλος *παράκλητος* appella-  
tur ІОН. XIV, 16. ὁς, μαρτυρήσει. ІОН.  
XV, 26. ἐλέγξει τὸν κόσμον. ІОН. XVI, 8.

E. ІОН. XVI, 14. λήψεται – et 15. ανα-  
γελεῖ: quae opera personae sunt.

F. Cum Spiritus S. Christo baptizato  
sub columbae forma superueniret, hac  
re non obscure indicabatur, eum esse  
suppositum a Patre et Filio diuersum.

Est ergo Spiritus S. non vis aliqua  
diuina, sed *suppositum*, seu subiectum.

II. Et

## II. Et quidem diuinum

## A. Nam nominatur Deus.

ACT.V, 3. 4. Petrus, Anania, inquit, cur tuum animum impleuit Satanus (cur malis consiliis in animo tuo locum fecisti?) ut *Spiritui Sancto* mentireris? Non tu hominibus, sed *Deo* mentitus es.

Spiritus S. dicitur habitare in fidelium animis; et hanc ob causam, quia Spiritus S. in illis habitat, *Dei* templum vocantur: ergo ipse Spiritus S. Deus sit necesse est. I.COR.III, 16. An nescitis, nos Dei esse templum, Deique Spiritum habitare in vobis? coll. I.COR.VI, 19. 2.COR.VI, 16.

## B. Perfectiones diuinae tribuuntur Spiritui Sancto.

a. *Omniscientia*, I.COR.II, 10. Nobis autem Deus haec patefecit ope Spiritus sui. Spiritus enim rimatur et perscrutatur omnia, etiam ea, quae in Deo sunt abditissima. Nam quis hominum scit, quae in hominis anima versentur cogitationes? sic, quae in Deo sint, praeter Spiritum Dei, nullus scit.

36 DOCTRINAE CHRISTIANAE CAP. I.

b. *Omnipraesentia*, 1.COR.XII, 11. Atque haec omnia efficit vnuis idemque Spiritus *dispertiens* vnicuique *pro beneplacito suo*.

Iam vero cui attributum Dei competit vnum, ei omnia competant oportet: nam sunt indiuisibilia.

C. Opera diuina. 1.COR.XII, 1. 6. 11.

D. Honor denique diuinus ei tribuitur.

a. MATTH. XXVIII, 19. vid. pag. 31.

b. 1.COR. XIII, 13. vid. pag. 33. coll. NVM. VI, 24. ex quo loco patet, tantum in nomine Dei hominibus esse bene pre-candum.

Ex quibus omnibus hoc modo prae-structis colligitur, in vna substantia diu-tria esse supposita, quibus competant perfectiones diuinae.

(†) Thes. XXX. *Differunt personae diu-notis quibusdam seu characteribus.* Quae notae oriuntur primum ex relationibus quibusdam internis, quae in Deo sine initio sunt et sine intermissione:

A. Pater

1. generat Filium; id est, in Patre est ratio, cur Filio perfectiones diuinae  
hoc,

*hoc, nec alio modo competant;* EBR.

I, 3. Patet et ex nomine Patris et Filii.

2. a Patre et Filio procedit Spiritus S. hoc est, in Patre et Filio ratio aliqua est, ob quam tertio supposito perfectiones diu. hoc, nec alio modo competant. IOH. XV, 26. MATTH. X, 20. Ideo dicitur Spiritus Patris et Filii. GAL. IV, 6.

B. Deinde opera quaedam sunt externa, tribus personis *communia*, ita tamen, ut vni cuiusdam personae tribuantur, id est, *attributiva*.

1. *Pater* nimirum decreuit mundum condere, creauit et conseruat omnia per Filium etc.

2. *Filius*, per quem mundus factus est, exaltatus iam ad dextram Dei omnia gubernat, mortuos resuscitat, atque iudex a Patre constitutus sententiam pronunciabit.

3. *Spiritus S.* prophetis reuelauit voluntatem et decreta Dei, et applicat hominibus salutis remedia. Inde canon:

38 DOCTRINAE CHRISTIANAE CAP.I.

*Opera dei externa tribus personis communia sunt.*

Thef. XXXI. *Haec nostra de tribus in diuinitate personis doctrina, veritatis rerum natura hominum generi notis, contraria non est.*

- I. Neque enim contendimus tres substantias unam esse substantiam, vel tres essentias unam essentiam.
- (†) II. Nec quantum nos quidem nouimus, ex principiis naturalibus unquam a quo quis demonstratum est, fieri non posse; ut in aeterna substantia tria concreta seu subiecta sint, ea quidem ratione, ut non extra se inuicem existant; dummodo procul absit ab huius doctrinae sublimitate praepostera illa de Deo cogitandi ratio, qua quidam ens infinitum tanquam atomum, seu punctum quasi mathematicum, loco quodam inclusum atque circumscripsum, mente sibi repraesentant.
- (†) III. Quamuis tria sint diuersa subiecta in substantia aeterna, haec tamen ideo

ideo ens compositum dici nequit. Nam entis compositi natura in eo est, vt eius partes sint extra se inuicem posita.

(†) IV. Nec denique doctrina nostra eam ob caussam erroris iure argui potest, quod, qualis in deo credimus trium subiectorum diuersam subsistendi rationem, talis in rerum natura hucusque nondum inuenta sit.

a. Primo enim hoc probe considerandum est, nos minimam tantum rerum creatarum partem habere cognitam, nec huius naturam penitus intelligere. Quot mysteria in vna Physices doctrina?

b. Deinde si vel maxime demonstrari posset, talem subsistendi modum in rebus finitis locum non habere; inde tamen male concluderetur, in ente etiam infinito eum esse non posse.

\*) Quia in rerum natura, quatenus quidem eam habemus cognitam, nihil deprehenditur, quod eadem ratione subsistat, ac supposita diuina in diuina substantia, ideo ab omnibus merito abstinemus ima-

ginibus, similitudinibusque, quibus veterum doctorum quidam huius doctrinae obscuritati lucem aliquam affundere, conati sunt. Nil habet sui simile Deus.

Omni subtilitate differendi remota, dogma nostrum de Trinitate simpliciter et populariter sic proponi potest: Scriptura s. vbiique testatur, vnum tantum esse Deum; at eadem tria subiecta, seu tres personas commemorat, quibus praedicata vere diuina tribuit. Nisi ergo vel luculentissimis eius testimoniis de tribus subiectis diuinis vim quasi inferre, vel entia diuina contra eiusdem mentem multiplicare velimus; necessario nobis credendum erit, esse substantiam diu. vnicam, sed inesse ei tria supposita seu subiecta, quae eandem numero essentiam modo nobis incomprehensibili communem habeant. Cum autem scriptura sacra, iuxta rerum naturam, alterum sit principium deum resque diuinæ cognoscendi, fidem habeamus eius testimoniis et simpliciter amplectamur dogma de Trinitate, mysteriosum illud quidem et nobis incomprehensibile, sed solatii plenum et *cum uniuersa salutis humanae ratione*

*tione atque oeconomia arctissimo nexu coniunctum.*

Thef. XXXII. *Præter Deum trinum cultu religioso prosequendus est nemo.*

*Prob.*

1. DEV. VI, 13. p. 32. MATTH. IV, 10.

p. 32.

2. IES. XLII, 8. p. 28.

3. Nec audiunt beati preces nostras,  
IES. LXIII, 16. Abrahamus nescit  
nos, neque Israel nos agnoscit, tu  
es parens, tu redemptor noster.

4. Nec volunt hac ratione a nobis  
coli. APOC. XXI, 10. Sed ille, caue,  
inquit, ne facias; conseruus tuus  
sum, tuorumque fratrum Iesu testi-  
monium habentium; Deum adorato.

*Obs.* 1. Homines beatos, pro nobis orare, hoc  
quidem negare nolumus; vt autem pro no-  
bis orent, precibus a nobis excitandi non  
sunt.

*Obs.* 2. Sanctos homines pie defunctos sicuti  
angelos, dignos esse, quos veneratione qua-  
dam colamus, vltro concedimus; honor au-  
tem eis habendus est ciuilis tantum, non  
religiosus.



## CAP. II.

DE CREATIONE, CONSERVATIONE  
ET GVBERNATIONE.

## SECTIO I.

Thef. I. *Verbum creare* (*graece κτιζειν*)  
varios habet sensus in litteris s.; denotat  
1. generatim formare aliquid et facere.

IES. LXIV, 18. Ego *creaturus* sum Hiero-  
soly mam exultantem et populum eius lae-  
tantem. AMOS IV, 13.

2. Consueto autem loquendi usu indicat  
actionem Dei, qua vi sua siue imme-  
diate, siue mediate efficit, quod antea  
non erat.

GEN. I, 27. II, 3. 4. IES. XLV, 18. Ita, in-  
quit Iehouah, qui caelum creauit et ter-  
ram formauit etc.

EPH. III, 9. COL. I, 16. NV M. XVI, 30. PS. LI, 12.  
Cor mundum *crea* in me, o Deus! (Fac,  
vt ad mentem meliorem redeam, noua  
animi conditione, nouis viribus me ex-  
ornes!)

3. Quibusdam scripturae locis significat,  
actionem Dei, qua effecit, vt materia  
mun-

mundi prima, seu stamina rerum omnium inciperent existere.

## GEN. I, I.

Thef. II. *Creauit Deus omnia voluntate sua, vique omnipotenti nec instrumentis ei, nec labore opus erat.*

Hanc ob caussam Moses, rerum creatarum initia describens, atque accommodans sermonem populari loquendi rationi dixit, Deum omnia creasse vi *verbi* sui: e. c. *fiat lux, et factum est.* Deus enim locutus non est, sed voluit, vt res creatae essent, et factae sunt.

Thef. III. *Sex diebus Deus omnia rerum genera creauit.*

## GEN. I. EXOD. XX, II.

*Obs.* 1. Non in Deo, in rebus creatis tantum erat successio.

*Obs.* 2. Dies vna continetur tanto temporis spatio, quantum requiritur ad id, vt terra circa axem suum voluatur. Hac ratione si diem definias, aliquantum intelligitur, quomodo dies esse potuerit, antequam sol existeret. *Nec tamen curiose nimis disputationum est hac de re.* Hoc vnum probe considerandum, sapientissimas Deo fuisse rationes,

nes, ob quas non *uno momento*, sed paulatim mundum crearet, *sex diuersis temporibus*.

Thef. IV. *Prima die Deus effecit*

1. vt inciperent existere entia simplicia.
2. vt particulae lucis a tenebris fecerentur.

GEN. I, 1-5. *Initio caelos et terram creauit Deus.* Terra quidem tunc erat adhuc incondita atque inanis, vniuersa coniecta circumfluentibus aquis, supra quas spiritus Dei versabatur. Primum itaque dixit Deus: fiat lux! et statim facta est, quam cum bonam esse intelligeret, diuisit a tenebris, lucemque diem, caliginem noctem vocavit. Sic fuere quasi prima vespertina et matutina tempora, diesque primus absolutus est \*).

Thef.

\*) Ut ex huius loci tractatione iuuentus commodum aliquod capiat insignius, de igne, de terra, de aere, de reliquis omnibus rerum creatarum generibus nec non de potentia et sapientia diu. in iisdem conspicuis, siue dicendum erit aliquid prolixius a doctore, siue legendum ex libro quodam ad hoc doctrinae genus spectante. Nos de conficiendo libello aliquo, huic etiam instruendae iuuentutis labori aliquantum inferuituro, cogitare, in praefatione iam diximus.

Thef. V. *Die secunda, aquis superioribus ab inferioribus discretis, aér existere coepit atque caeli et atmosphaerae (quam dicunt) forma.*

GEN. I, 6-8. Praeterea voluit Deus, vt esset spatum (altum, longe lateque) extensum, quo aquae inferiores terram circumfluentes separarentur, ab aquis superioribus (nubibus et reliquis \*) subtilioris naturae vaporibus). Postquam itaque Deus fecerat hoc extensum, quod sibi pavimenti quasi loco esset, et aquas inferiores a superioribus separaret, idem *caelum* appellauit. Hac ratione diei secundi spatum peractum est.

PSAL. ClV, 2-4.

Thef. VI. *Die tertia, aquae, terram circumfluentes colligebantur in maria, flumina, fontes terraeque cavae.*

GEN. I, 9-13. Porro voluit Deus, vt aquae sub coelo, terram circumfluentes, colligerentur in loca singula, quo terra appareret sicca et firma; quod cum factum esset,

\* Huius loci esse hanc vim, intelligitur cum ex re ipsa, tum vel in primis ex loco PROV. VIII, 28. Ego sapientia aderam, cum aetherem et nubes subtiliores firmaret in superioribus caeli regionibus etc.

effet, humum siccum Deus appellauit *terram*, aquarum collectionem (maiores) *mare*. Vtrumque erat bonum. Hoc ita peracto, iussu Dei, terra emisit gramina tenera, herbasque florentes gignentesque semina, arbores denique aptas ad fruges ferendas, quibus semen ineffectum ad propaganda arborum singula genera. Quae cum omnia facta essent atque a Deo approbata, dies peracta erat tertia.

Thef. VII. *Die quarta fecit Deus, vt solis radii corpora caelestia terramque ilustrarent, luna autem et stellae reliquae in formam suam et ordinem redigerentur.*

GEN. I, 14-18. Deinde voluit Deus, vt fierent lumina in caelo, quae diem et noctem diuiderent, signaque hominibus essent ad distinguenda tempora dierum annorumque, vt lucerent in caelis terramque illuminarent. Fecit itaque Deus duo lumina magna, quorum maius diei lumen praeberet, minus nocti; praeterea condidit stellas, quibus singulis loca constituit peculia in caeli regionibus ad collustrandam terram, ad gignendam noctem et diem, ad diuidenda diei noctisque singula tempora. Haec omnia bona atque fini, quem sibi proposuerat, apta deprehendit Deus. Atque sic dies quarta praeteriit.

Thef.

Thef. VIII. *Die quinta animalia aquatilia volatiliaque creata sunt, quorum et varietas et structura totaque indoles argumentum est sapientiae diuinae longe praestantissimum.*

GEN. I, 19-23. His peractis iussu Dei, nata sunt in mare omnia animalium natantium genera, in terra autem aues volantes in aere. Eo tempore formauit Deus et pisces maiores et minora animalium natantium genera, auiumque genus quoduis natura praeditum singulari. Quibus Deus omnibus, cum bona esse intelligeret, benedixit his v夫us verbis: nates edite permultos, atque implete aquas maris, aues autem augeant se in terra. Vespertino itaque et matutino tempore perfecto, dies finita erat quinta.

### Thef. IX *Die sexta creauit Deus*

1. animalia terrestria reliqua mansueta et fera, (quorum multitudo, v夫us, natura paucis consideranda est).
2. homines tandem fecit et marem et foeminam diuersa quidem ratione, sapientiae suae accommodata.

GEN. I, 26. etc. Sexto denique die Deus omnis generis animalia terrestria cicures pe-

cudes, serpentes vermesque et feras ex terra nasci voluit; quod et illico factum est. Nata sunt enim ex terra omnis generis maiora et minora pecora et animalia fini, quem Deus sibi habebat propositum, conuenientia. Tum vero singulare cepit consilium creandi hominis dixitque: faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, cuius dominio omnia animalium, aquatilium, terrestriumque genera subiiciamus. Creavit igitur Deus hominem ad imaginem suam sive similem; marem quidem et foeminam. Iisdemque benedixit hoc modo; crescite, augecite, replete terram eamque vobis subiicite. Vtimini pro vestra voluntate piscibus, volucribus, omnibusque ceteris animalibus. Concessi vobis usum herbarum, arborum, earundemque fructuum omniumque animalium in uniuerso terrarum orbe. Haec igitur omnia cum bona voluntatique diu. conuenienter facta essent; dies sexta sic erat absoluta.

Thef. X. *Quae Deus creavit, omnia erant bona, nec ipse, auctor est mali ullius.*

GEN. I, 31. IAC. I, 13.

Thef. XI. *Non solum a Deo Patre, sed et a Filio, et Spiritu S. omnia esse creata in loco de Deo trinuno probauimus.*

*Iam*

Iam vero hoc unum addamus, constantem esse Novi Testamenti loquendi formam; a Deo Patre, et per Filium omnia esse creata. Quae verba indicare videntur diuersam Patris et Filii in creando mundo operandi rationem.

Vide loca IOH. I, 3. 10. I. COR. VIII, 6.  
COLOSS. I, 16. EBR. I, 3. vid. pag. 29.  
EPH. III, 9.

Thes. XI. *Finis, ob quem Deus mundum creauit, erat*

1. vt Spiritus a se creatos felicitatis suae redderet particeps.

PSAL. CXIX, 64. Benignitate tua Iehouah plenus est orbis terrarum.

2. vt infinitam suam, atque inuisibilem naturam, vim atque gloriam manifestaret.

ROM. I, 19. pag. 2. PSAL. XIX, 1. Caeli enarrant Dei gloriam, regiones aereae indicant quanta sint eius opera. CLV, 1. etc.

Thes. XII. *Sex diebus ita peractis noua verum genera Deus formauit nulla, sed quieuit, diemque septimum sanctum pronunciauit.* GEN. II, 2. etc.

*Obs.* Deus quiete non eget, sed formatis omnibus rerum creatarum generibus hac

solemnitate (vt ita dicamus) Sabbati legem toti humano generi primum tulisse videtur.


### MEDITATIO.

Praeclare ARISTOTELES\*), si essent, inquit, qui sub terra semper habitauissent bonis, et illustribus domiciliis, quae essent ornata signis atque picturis, instruētaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur: nec tamen exissent vñquam supra terram: accepissent autem fama, et auditione, esse quoddam numen, et vim deorum: deinde aliquo tempore patefactis terrae faucibus, ex illis abditis sedibus euadere in haec loca, quae nos incolimus, atque exire potuissent: cum repente terram, et maria, caelumque vidissent: nubium magnitudinem, ventorumque vim cognouissent: adspexissentque solem, eiusque tum magnitudinem, pulchritudinemque, tum etiam efficientiam cognouissent, quod is diem efficeret, toto caelo luce diffusa: cum autem terras nox opacasset; tum caelum totum cernerent astris distinctum et ornatum, lunaeque luminum varietatem tum crescentis, tum flescentis, eorumque omnium ortus, et occasus, atque in omni aeternitate ratos, immutabilesque cursus: haec cum viderent, profecto et

\* ) Vide CICERONEM de natura deorum Lib. II. Cap. 37.

## DE CREATIONE ET CONSERVAT. 51

et esse deos, et haec tanta opera deorum esse arbitrarentur. Atque haec quidem ARISTOTELES: nos autem, quibus contigit melior doctrina hausta e verbo diu. quo decet cultu prosequi Deum adeo potentem, conditorem atque rectorem totius mundi adeo sapienter formati et incolis exornati infinitis. Caeli profecto enarrant Dei gloriam; stellae celebrant eius vim. Nox diei, dies nocti operum diuinorum admirabilem indicat magnitudinem. Tu, o Iehouah, caelos expandisti, ut sint tibi aulaeum. Fecisti lunam signum statorum temporum, solemnque luce sua omnia collustrantem. Tu terram fundasti firmam marique posuisti limites; tu fluminum cursus diriges; riuisque fontibus animalium et hominum restinges sitim, rore et imbris agrorum fulcos irrigas, madefacis colles et prata, ut efflorescant gramina, ut vireant segetes, ut exornata sit terra laeta frumenti copia, qua tu et nos et omnes homines saturas mentesque nostras vsu bonorum tuorum iucundo suauiter afficis. Tuas ideo et semper celebrabimus laudes, te colemus, tibi pias agemus gratias, non ore modo et verbis, sed obsequium legibus tuis praestando.



## SECTIO II.

## DE CONSERVATIONE ET GVBERNATIONE, SEV PROVIDENTIA.

Thef. XIII. *Res creatae eadem voluntate diu. conseruantur, qua sunt conditae.*

1. Quia rationem existentiae suae nunquam habent in semetipsis; nam sunt semper et manent res, quarum natura contingens est et pendet a natura aliqua necessaria.

2. Quia teste Paullo ex Deo et a Deo sunt omnia, quae existunt.

ROM. XI, 36. vid. pag. 7.

3. Quia semper omnibus dat vitam et omnia.

ACT. XVII, 24. 27. 28. *Vt Deum quaerent, si forte eum contrectare quasi et inuenire possent, siquidem non procul est ab unoquoque nostrum; in eo enim vivimus, mouemur atque existimus.*

4. Quia denique per Filium Dei omnia subsistunt.

COL. I, 17. vid. p. 29. EBR. I, 3. vid. p. 29.

Thef. XIV. *Actio Dei, seu eius voluntas, qua efficit, ut res creatae conseruen-*

*seruentur, dicitur concursus Dei generalis.*

MATTH. VI, 26. etc. Conspicite caeli volucres, ut neque ferant, neque metant, nec in cellas congerant, tamen vester caelestis Pater eas alit. Quod si herbam terrestrem, quae hodie existit, cras in clibanum coniicitur, Deus sic vestit, nonne multo magis vos curabit? o parum ei fidentes!

PSAL. CIV. tot. ACT. XVII, 28.

Thes. XV. *Concursus Dei specialis est actio Dei, qua ad actiones et mutationes rerum creatarum singulas aliquid confert.*

IOB. X, 8. 11. Tuae me manus formarunt atque quicquid sum fecerunt. — Cute et carne induisti, ossibus et nervis compagisti me.

PSAL. CXXXXIX, 13. 15. Tu enim viscera mea formasti \*), tu obtexisti me in utero matris meae. Non te latuere mei artus, cum in loco abdito fierem.

AMOS III, 16. Num est in vrbe malum, quod Iehouah non fecerit? i. e. vel, ut fieret,

D 3.

\*) Varians lectio pro קְנַת lege יְהָוָה. Sic et celeb.  
MICHAELIS in Versione bibliorum.

**54 DOCTR. CHRIST. CAP. II. SECT. II:**

fieret, permiserit vel poenam peccatis promeritam hominibus inflixerit.

**IOB. I, 21.** Iehouah dederat; Iehovah abstulit, eius nomen sit collaudatum.

**IES. XLIII, 2.** Si per aquam transfibis (calamitatibus multis afflictus fueris) ego tibi adero.

**PSAL. LX, 14.** Opitulante Deo fortis erimus atque praeclara edemus facinora, eo hostes conculcante nostros.

**MEDITATIO.**

Sine tua vi atque auxilio, o Deus, auctor et rector vitae meae! nihil boni me posse facere probe intelligo. Tu vitam meam sustentas, vires quotidie nouas animo largiris et corpori; salubria suppeditas menti consilia; atque opera dirigis mea, vt felicem habeant successum. A te cum hac ratione totus pendeam; totum tuae curae atque prouidentiae permittam me; sub tua tutela securus delitescens saluus ero et faustus.

(†) **Thes. XVI.** *Sapientiae Dei eiusdemque bonitati consentaneum est, conseruare vires agendi spirituum et eo tempore, quo iisdem abutuntur et peccant.*

**Prob.** Vires enim a Deo sunt, abusus virium a creatura.

**Thes.**

Thef. XVII. *Nec Deus vires rerum  
creatarum conseruat tantum, sed et sa-  
pienter dirigit, quae eius actio dicitur  
gubernatio.*

*Prob.*

1. Quia omnium rerum creator et domi-  
nus sapiens et bonus est. Qui enim  
fieri possit, ut Deus sapientissimus mun-  
dum, opus suum, casui permittat, et  
non potius omnia conferat, quo res  
creatae summum, quod possint, attin-  
gant felicitatis fastigium?
2. Quia Deus ubique locorum existens  
otiosus profecto non est rerum specta-  
tor. Consistit enim natura eius in vi  
et operatione perpetua.
3. Quia omnia conseruat ad illustrandam  
gloriam suam. Inde enim sequitur  
Deum ad illustrandam gloriam suam et  
cuncta ita gubernare, ut optimum fi-  
nem feliciter consequantur.
4. Ideoque oracula diu. docent, Deum ho-  
minibus omnia conferre, in eo homines  
moueri, ipsum eorundem regere mentes,  
cogitationes, consilia motusque animi.

**ACT. XVII, 24.** Deus qui mundum et quae in eo sunt, fecit cuncta, caeli terraeque dominus cum sit, non habitat in templis manu factis, nec hominum manibus colitur, quasi rei cuiusdam egenus, cum ipse hominibus vitam, spiritum, omnia reliqua conferat. Ipse enim non procul est a nostrum quo quis; nam in eo viuimus, mouemur et existimus.

**PROV. XVI, 9.** Mens hominis operum suorum peragendorum consilia capit, sed Iehouah eadem dirigit (a Deo pendet operis coepti euentus).

**PSAL. XCVI, 10. XI.** Dicite gentibus, Iehouah est rex; is est, qui mundum condidit stabiliuitque, is est, qui populos aegritate iudicat.

**DEUT. X, 14. etc. IES. LXVI, 1. EBR. II, 8. I.COR. XV, 27. PSAL. CIV. tot.**

**Obs.** Concursum Dei et gubernationem doctores appellant vna voce *Prouidentiam*.

**Thef. XVIII.** *Licet Deus summa prae-ditus sit maiestate et gloria, ipsum tamen banc ob causam non dedecet, conseruare, curare et gubernare res minimas.*

**I.** Quia salus vniuersi continetur perfectione partium et minimarum. Si e.c. singulorum ciuium saluti non prospicitur,

tur, salus periclitatur vniuersae reipublicae. Si vnum membrum negligitur, ita ut vitii aliquid capiat, ad totum denique corporis aedificium redundat aliquid detrimenti.

2. Quia summae potentiae et sapientiae praerogativa est, omnia, quin etiam minima curare posse. In hominum enim imbecillitatem hoc non cedit. Eamque ob causam imperatoribus humanis per ministros subditos audiendi, iudicandi atque rempublicam curandi necessitas incubit. Hos Deus longissime praestans, ipse vbiique praesens omnia inteligit, videt, audit, dirigit; rarius quidem immediate, at semper ordine a se constituto atque per remedia quaevis optima.
3. Ideoque Christus discipulos suos consolans, asseuerat, Deum patrem suum non modo aues et gramina, sed etiam crines capitis humani curare.

MATTH. VI, 16. 17.

Thef. XIX. *Dirigit Deus omnium rerum creatarum vicissitudines.*

1. *Entium simplicium vel minimorum:*  
*Quod modo probauimus.*

2. *Corporum caelestium terrestriumque.*

IES. XL, 26-28. Attollite in loca sublimiora oculos vestros! adspicite, quis illa creauerit, quis eorum dicit exercitum, singulos quasi vocans nomine?

3. *Aeris, pluuiarum, tempestatum mutationes.*

ACT. XIV, 17. De caelo nobis (Deus) pluuiam frugiferaque dedit tempora expleuitque cibis et laetitia nostros animos.

4. *Curat terrae fruges.* MATTH. VI, 25. etc.  
 vid. pag. 53.

PSAL. CXLVII, 8. 9. Deus caelum nubibus obducit, terraeque parat pluuiam. Bestiis dat pabulum, etiam coruorum pullis clamantibus. PS. LXV. tot.

5. *Animalia.*

PSAL. CIV, 10-12. Te curante ex fontibus riui profluunt, qui montes intermeent, vnde omnia terrestria bibant animalia, et onagri fitim restinguant. Ad ea volucres habitant canuntque sub frondibus.

6. *In primis homines et reliquas creaturas ratione praeditas.*

a. *hominibus constituit sapientissime vitae ingressum;*

PSAL. CXXXIX, 16. Massam meam adhuc informatam viderunt oculi tui; in libro tuo omnes quasi descripti erant dies mei, constituti cuncti et determinati certissime, vtne unus deesset.

b. *progressum;*

PROV. XVI, 1. 3. Homo quidem disponit cogitationes mentis suae, a Iehoua autem pendet eiusdem sermo. Committe Iehouae tuas res, sic feliciter exsequeris consilia tua.

ACT. XVII, 26. Effecit deus, vt ex unius sanguine vniuersum genus humanum oriatur, vt habitaret in omnibus terrae regionibus, praefinitis eorum statis certisque temporibus, constituit quibusnam locis habitare deberent.

c. *casus varios et exitum.*

PSAL. XC, 3. Redigis (o Deus) homines in puluerem et humanum genus redire iubes.

IOB. XIV, 5. Anni vitae eius (hominis) sunt determinati, numerus mensium eius a te pendet; tu ei terminum statuisti, quem non praetereat.

d. *eorum denique et spirituum reliquorum actiones dirigit sapientissime.*

## MEDITATIO.

Quis Dei non reuereatur intelligendi vim et sapientiam, qua tot rerum creatarum genera ita coniunxit, vt singula ordine conuenientissimo gignantur, mutentur, destruantur, atque interitu suo nouis gignendis et alendis occasionem praebeant. Ea enim est rerum omnium perennis continuatio, qua omnia aluntur et sustentantur: ros et imbres irrigant agros, terra fruges edit; frugibus vescuntur animalia; animalibus frugibusque homines; haec autem omnia siue in terram recidunt, siue in vapores resoluta in auras euolant. Vt cuncta haec rerum genera sibi mutuo inferuant; vt brutis hominibusque alendis semper adsit esculentorum copia; vt vtriusque sexus par fere numerus gignatur, vt nascentium copia, comparatione ad totum genus humanum facta, morientium multitudinem fere semper superet; vt morbis grassantibus nullum genus extirpetur penitus, quotusquisque est, quin intelligat, haec et reliqua omnia a prouidentia diuina sapientissime ita constitui atque regi? Et meae vitae initia ab eius nutu pendebant; ab eodem fortuna mea, casus omnesque mutationes et vitae exitus descripti quasi et definiti sunt. Te pio colam obsequio, o dulcis autor et rex vitae meae. Tuae voluntati, tuo spiritui eiusque regimini me totum tradam, atque committam. Monstra mihi virtutis tramitem

et

et fac, vt felix faustusque salutis metam af-  
sequar!

Thef. XX. *Has autem hominum et spirituum omnium actiones Deus ita gubernat, vt*

*1. malas sapienti consilio*

a. *permittat.* e. c. Sic permisit lapsum protoplastorum, ne eo prohibito imperfectio maior oriretur. GEN. III, 6.

b. *impedit.* Ita impediuit adulterium Abimelechi. GEN. XX, 6.

c. *limitet.* Limitauit actiones malas, quibus Iobus affligebatur. IOB. I, 12. II, 6.

d. *dirigat.* e. c. mala fratrum Iosephi consilia ita direxit, vt in salutem totius familiae cederent. GEN. L, 20.

e. *puniat;* cuius rei exempla in scriptura s. exstant infinita. GEN. III, 16. etc.

*2. bonas promoueat, dirigat, remuneretur.*

(PSAL. XCI. CXXI.) PS. CXXVII, 1. Nisi Iehouah domum aedificet, frustra labo-  
rant; qui eam construunt; nisi Iehouah vrbem custodiat, frustra vigilat custos.

(PS. CXXVIII. CXLV. CXLVI. PROV.  
XVI,

XVI, i. 7.) PROV. XXI, i. 2. Sicuti riuuli cursum, ita dirigit Iehouah regis animalium, eundemque, quo vult, inclinat. Sui cuique mores et opera probantur, sed Iehouah dirigit mentem.

IER. X, 23. Scio Iehouah, non esse penes hominem, quid agere velit, nec in mortaliū potestate situm esse, instituere, qua ratione opera sua perficere vitamque suam instituere velint.

(†) Thes. XXI. *Ex malo in mundo obuio colligi non potest, Deum rerum creatarum curam non habere.* Nam

I. Imperfectiones quaedam oriuntur ex necessariis rerum finitarum limitibus. Homini e. c. non datum est omnia scire, ideoque errare potest.

II. Malum morale minus permittendum erat, ne maiores in rebus creatis nascerentur imperfectiones. Nisi permisisset Deus vt Iosephus a fratribus vendetur, futurum forte fuisset, vt tota familia Iacobea in pericula incidisset longe maiora. Nisi Deus permisisset, vt Petrus, Christum abnegando, peccaret, forte *incantus* in alia incidisset peccata, vel,

vel, sua virtute fretus, *insolens* factus esset, quo malo nihil peius homini accidere potest.

II. Malum physicum denique, siue necessitate quadam oritur ex rerum creatarum imperfectionibus, siue medicinae salutaris vim habet et in emendandis subditis a rectore mundi sapienter adhibetur. Vrit, secat et admouet medicus aegroto, cui aliter mederi non potest, remedia amara atque valde iniucunda; nemo tamen sanus dicet, eum esse malorum auctorem. Liberi qui verbis lenioribus ad mentem meliorem reduci nequeunt, poenis coercendi sunt.

Cum Deus natura sit optima praeditus, mali auctor non potest esse ullius. Res creatas, spiritus atque homines formauit omnes tam bonos, quam per rerum naturam fieri poterat. Prohibuit deinde, quantum quidem pro sapientia sua potuit fieri, quo minus maiora mala committerentur, nec illa suisset permisurus, si peccato non impedito, plus oriri boni, quam ex impedito, mali intellexisset. Est ergo ille et manet semper ab omni malo remotus, peccati osor et iustus vindex. Non autem vindex modo, sed et vel in primis rector

rector sapiens. Ea est enim Dei incredibilis benignitas et clementia vt et rebelles non majoribus, quam ad reliquorum subditorum salutem conseruandam sit necesse, poenis afficiat. Deinde vero, quae committuntur peccata, ita limitat atque dirigit, vt vniuerso generi humano commodi aliquid inde nascatur. Sic Dei sapientia atque singulari in nos amore fit, vt mala in mundo obvia, multis numeris superentur beneficiorum diu. copia; vt, dummodo culpa absit, casus aduersos, morbos et, quae nobis inferuntur, iniurias, verbo, omnis generis calamitates, licet malorum speciem habeant, in beneficiorum loco ponere atque tranquillo et forti animo ferre possimus. Quisquis enim bonum sequitur, mali ei accidere potest nihil. Dei potius amantibus, quidquid aduersi euenit, tandem in utilitatem cedere solet. Quod si breui hoc vitae curriculo non semper videtur fieri, est denique dies futurus, quo boni a malis in perpetuum separati, non modo virtutis consequentur praemia, sed et paeclarum aerumnarum, quas citra culpam suam in vita haec perpepsi sunt, remunerationem.

Thef. XXII. *Gubernat Deus totum mundum corporeum omnesque spiritus secundum ordinem sapienter constitutum.*

Atque haec gubernatio dicitur *media-ta et ordinaria.*

Thef.

Thef. XXIII. *Media, quibus utitur in dirigendis hominibus, sunt vel naturalia, vel supernaturalia (verbum et sacramenta).*

Thef. XXIV. *Nonnunquam Deus ordine a se constituto in gubernandis rebus creatis relicto, agere solet graves ob rationes modo extraordinario.*

1. Hoc si fit in rebus naturalibus, actio diu appellatur *miraculum (in regno naturae.)*
2. si in rebus supernaturalibus, seu dirigendis animi motibus, *miraculum gratiae.*

Ex. gr. Si modo extraordinario homo quidam conuertitur, cuius rei Paullus exemplum est.

(†) Thef. XXV. *Miracula edit Deus*

1. vel immediate, quae maiora;
2. vel mediate, quae minora appellantur.

(†) Thef. XXVI. *Miraculis aliquot admissis ordo rerum naturalis non subuertitur. Agit enim Deus etiam in miraculis edendis modo rerum naturae conuenienti. Addit aliquid naturae, naturam non subuertit. Sicuti medicina salutaris, corpori humano sapienter applicata, ordinem*

*operationum vitalium naturalem non destruit.*

(†) Thes. XXVII. *Nec tamen miracula praeter necessitatem multiplicanda sunt.*

1. Quia miracula, saepius repetita, incertum redditura essent rerum ordinem naturalem. Quomodo enim certa rerum gerendarum confilia capere, temporibus futuris sapienter prouidere, atque ex antecedentibus euentus rerum sequentes colligere possent homines, si vi miraculorum naturalis rerum nexus et series quotidie interpelletur?
2. Quia vim probandi veritatem essent amissa. Si e. c. in vniuerso terrarum orbe apud omnes gentes multi essent, qui coecorum oculos verbo possent aperire, quotusquisque tandem eiusmodi re valde commoueretur?

Thes. XXVIII. *Tribuitur gubernatio rerum creatarum in s. litteris.*

1. *patri*, quod locis scripturae s. multis confirmatum est.
2. *filio*. MATTH. XXVIII, 18. Mihi data est omnis potestas in caelo et in terra.

I.COR. XV, 27. Omnia enim Deus eius per  
dibus subiecit.

EBR. II, 8. EPH. I, 21.

3. *spiritui s.* huic enim tribuitur distribu-  
tio beneficiorum spiritualium; I. COR.  
XII, 1-11. v. p. 36. dicitur idem rege-  
re et gubernare hominum animos, at-  
que cum spiritui s. aequa ac patri et fi-  
lio omnipraesentia et omniscientia com-  
petat, sequitur inde, eum et hac vi-  
vibile praesenti res creatas regere.

*Obs.* Est enim gubernatio mundi opus Dei  
externum. Tradita tamen est quodammodo  
a Deo Patre, totius mundi gubernatio  
*immediata* Filio θεανθρώπῳ. M A T T H.  
XXVIII, 18. I.COR. XV, 27.

Thef. XXIX. *Finis in quem omnia sa-  
pienter diriguntur a Deo, est*

1. rerum creatarum siue perfectio, siue  
felicitas et salus aeterna.
2. Dei gloria.

Deum in gubernando humano genere, sae-  
pius quondam a consueto rerum ordine rece-  
fisse, multis validisque argumentis ex historia s.  
omni fide digna, petitis constat. Stabilienda  
tunc erat, ope miraculorum, vera religio, eam

potissimum ob causam, quod ingenium huma-  
num alio argumentorum genere de veritate eius  
penitus conuinci non posset. Postquam virtute  
euangelii, ad omnes fere gentes perlati, veri Dei  
cultus in humano genere stabilitus fuit; desit  
quidem Deus, *ea ratione, ac priscis temporibus factum est,* agere extra ordinem in dirigen-  
dis rebus humanis; at eius infinita vis et po-  
tentia in gubernando humano genere non mi-  
nus ac antea versatur. Est ei eadem ac olim  
infinita vis et potentia eodemque fertur amore  
in omnes, qui ipsum timent atque colunt. Eius  
curae totum committam me, meaque omnia;  
ei crebris commendabo precibus consilia mea,  
opera, cunctaque vitae negotia. Diriget ille  
meam fortunam; in rebus aduersis praestabit  
auxilium; laboribus bene cupiet; atque, si ei  
ita visum fuerit, augebit me et ornabit bene-  
ficiorum suorum copia. Nullus enim spe sua  
excidit, qui suam in Iehouah ponit fiduciam \*).



### CAP. III. DE ANGELIS.

*Angeli nomen indicat in s. litteris.*

1. in genere legatum. IOB. I, 14.
2. nonnunquam filium Dei carne humana  
indutum. MAL. III, 1.

3. OR-

\* ) PSAL. XXV, 3.

3. ordinarie spirituum genus duplex, de quo nobis hoc loco sermo est.

## SECTIO I.

## DE ANGELIS BONIS.

Thef. I. *Angeli boni spiritus sunt beati, eximia vi, sapientia, boni et iusti amore aliisque perfectionibus praediti, quorum ministerio Deus vtitur cum in aliis rebus gerendis, tum vel in primis ad hominum felicitatem et salutem promouendam.*

Quod probatur:

MATTH. XVIII, 10. Videte, ne vel minimum horum (parvulorum) contemnatis: scitote enim, eorum angelos in caelis adspicere faciem patris mei, seu magna gloria exornatos, summa frui coram Deo felicitate.

EBR. I, 14. Nonne omnes (angeli) sunt spiritus Deo seruientes, qui ablegantur perficiendis operibus ad felicitatem eorum, qui salutem adepturi sunt.

PSAL. XXXIV, 8. Angelus Iehouae exercitum quasi collocat circa timentes Dominum eosque periculis liberat.

EBR. I, 4-7. GEN. XVIII, 2. XIX, 1-21.  
LVC. XXII, 43. ACT. XII, 7. etc.

I. *Sigillatum illis tribuitur vis insignis.*

70 DOCTR. CHRIST. CAP. III. SECT. I.

PSAL. CIII, 20. Collaudate Iehouam eius  
angeli virtute potentiaque praestantes, obe-  
diendo mandatis eius.

Exemplum fortitudinis vide IES. XXXVII, 36.

2. *Sapientia*, quae patet ex illorum ope-  
ribus, item, ex eo, quod sapientiam  
Dei in humani generis redemtione con-  
spicuam scrutantur.

EPH. III, 10. Ut iam magis intelligent an-  
gelorum potentissimi adeo variam Dei sa-  
pientiam in ecclesia conspicuam.

3. *Amor boni et sanctitas.*

LVC. XV, 10. Laetantur diuini angeli de  
peccatore, qui ad meliorem se recipit  
mentem.

MATTH. XXV, 31. Veniet Messias in sua  
gloria atque cum eo omnes *santi angeli*.

MEDITATIO.

Totam hanc adeo vastam ac pene infinitam  
rerum vniuersitatem diligentius consideranti,  
ad intelligendum difficile esse non potest, eam  
a deo factam esse, vt pluribus, praeter ho-  
minem, naturis intelligentibus domicilium  
praebeat, in quo non modo habitare, sed et  
dei inuisibilis naturam et potentiam, benigni-  
tatem atque in res creatas incredibilem amo-  
rem intelligere possint. Cum igitur sint quaedam  
spiritu-

spirituum familiae, quorum est cum hominibus coniunctio aliqua et consortium, nostra interest, earundem vim nosse atque ingenium. Est profecto nouum diu. prouidentiae specimen, quod deus hac de re certiores reddere nos voluit. Huius enim rei notitia fit, vt non modo augmentum aliquod accedat nostrae de deo rebusque diu. scientiae; sed etiam vt ad virtutis studium animi hominum magis incitentur. Quis enim non timeat deum, cui copia infinita spirituum, magna vi et sapientia praeditorum, tanquam innumerabilis exercitus praefecto sit et dicto audiens? Quis nostrum de scientiae suae quantacunque fit copia, de ingenii praestantia, de corporis robore arroganterius existimare ausit, si angelorum excellentiae suam comparauerit imbecillitatem? quis non horum spirituum exemplo incitatus, studeat praestare dei iussis obedientiam, impuritatem aliaque vitia fugere et omnia sequi virtutis genera, vt aliquando in glorioso angelorum consortio eorum similitudinem et beatitatem affequatur?

Thef. II. *Angeli corpus, quale nostrum est, non habent; siue nullo, siue nostro longe subtiliori praediti sunt.*

1. Quia spiritus appellantur.
2. Quia per aerem in caelos ascendere solent.

Lvc. II, 15.

3. Quia oculis cerni nequeunt, licet praesentes sint hominibus. 2. REG. VI, 17.

Thef. III. *A Deo trinuno creatos esse angelos, ex dictis antecedentibus patet; quo hexaemeri die, certo diei nequit; vero tamen simile est, substantias simplices omnes primo die creatas esse.*

Thef. IV. *Numerus Angelorum bonorum, valde magnus est.*

MATTH. XXVI, 53. An existimas, non posse me exorare patrem meum, ut mihi plus quam duodecim legiones angelorum auxilium mittat?

Thef. V. *Varios esse Angelorum ordines patet ex*

I. PETR. III, 22. Jesus Christus est ad Dei dextram prosectorus in coelum angelique ei et spirituum praestantissimi subiecti sunt.

EPH. I, 21. Christus sedet ad dextram Dei in caelis, elatus supra omnes reliquos principatus, dominia praestantissimosque spiritus et homines supraque omnes res creatas, quae in hoc non solum saeculo, sed et in futuro existunt.

I. THESS. IV, 16.

Thef. VI. *Praecipua Angelorum bona officia sunt,*

*1. vt Deum colant laudibusque celebrent.*

**EBR.** I, 6. Eum (Filiū Dei) adorēt omnes  
beati angeli.

**PSAL.** CXLVIII, 2. Laudate Deum omnes  
eius angeli.

*2. vt Dei et domini nostri Iesu Christi man-  
data exsequantur.* **PS.** CIII, 20. **EPH.** I, 21.*3. vt piis hominibus opem ferant.*

**PSAL.** XCI, 11. Mandabit Deus suis angelis,  
vt quocunque pergas, te custodiant; vt  
te manibus quasi portent, ne in pericu-  
lum incidas.

**GEN.** XIX. **ACT.** XII, 7. etc.

*4. Malis poenas, iussu Dei, infligant.*

**2. REG.** XIX, 35.

## MEDITATIO.

In deo colendo angeli tempus transfigunt:  
hoc mihi iucundissimum atque maxime hone-  
stum sit vitae negotium, deo colendo naturas  
illas imitari sublimes.

Potentia, gloria, vi et sapientia multis licet  
numeris nos superent angeli, non tamen dedi-  
gnantur nostris inferuire necessitatibus: nun-  
quam me pudeat aliorum inferuire commodis,  
vel infimae fortis hominibus subuenire. Generosi  
est animi omnibus se praestare beneficium.

Visum est deo in me tuendo angelorum vti  
opera: saepius adsunt nobis siue opus faciun-

tibus domi, siue in itineribus constitutis noctu et interdiu subinde custodiam agunt: fac o pater coelestis, ne committendo peccata eorumdem auxilio me reddam indignum; atque si latenter me, si noctis caligine tectum vel hominum nullus videat, a facinore tamen committendo abhorream probe memor anglorum praesentia. Has si peccati testes habeam, quid quaeſo prodeſſet hominum fugere conspectum?

Thef. VII. *Licet digni ſint angeli, quos pie veneremur, cultu tamen religioso prosequendi non ſunt.*

\*) vide Caput I. Theſin vltimam.

1. Quia praeter Deum cultu religioso honrandus eſt nemo. MATTH. IV, 10. vid. p. 32.
2. Quia talis cultus iſpis angelis dispiceat, necesse eſt.

APOCAL. XXII, 9. Cae, ne facias; tuus enim conſeruus ſum. — Deum venerator.

3. COLOSS. II, 18. Nemo vos iſidioſe circumueniat in modeſtia quadam et angelorum cultu ſibi iſpi placens.

\*) Erant nempe Paulli aetate, qui angelos cultu quodam proſequendos eſſe statuerent.

Thef. VIII. *Angeli in amore boni pietateque erga Deum ita confirmati ſunt, ut ab hac virtute et obedientia, mandatis div.*

*prae-*

*praestanda, in aeternum non sint declinaturi.*

*Prob.* Hoc vel intelligi potest ex eo, quod beatam morientes homines, angelis similes futuri, hac ratione aeterna fruentur felicitate.

MATTH. XXV, 46.

### MEDITATIO.

Deum ter optimum maximum perpetuo amplecti amore, eius voluntati lubenter obtemperare, nullo tentari cupiditatis prauae impetu, nullaque peccandi consuetudine; semper esse bonum, ab omni malo remotum: o quam incredibilem hoc adferat, oportet, voluptatem! quantam felicitatem! forma o deus animum meum, peccato corruptum, vt huius felicitatis, qua angeli beati fruuntur, fiat capax et particeps. Confirmata mentem meam in omni virtutis studio, vt ad perennem tandem pertinagam salutem.

### SECTIO II.

#### DE ANGELIS MALIS.

*Thef. IX.* *Angeli omnes quidem boni erant a Deo creati, multi tamen eorum, libertatis et virium suarum abusu, aduersus Deum peccantes, mali facti sunt.*

*IOH. VIII, 44.* *Vos ex patre Diabolo estis (eius opera imitamini non modo, sed et eo auctore*

etore estis mente depravati) patrisque vestri libidini obtemperatis libenter; ille ab initio fuit homicida (protoplastos decipiens) nec in veritate perstitit; quippe qui a veritate alienus est.

**I**V D. 6. Deus Angelos, qui principatum suum retinere nolentes domicilia sua (sibi ab eo destinata) reliquerunt, ad magni diei iudicium aeternis vinculis in tartaro seruandos curauit.

**P**E T R. II, 4. Deus angelis, qui peccauerant, non pepercit, sed eos in tartarum praecipitatos catenis quasi vincitos in locis tenebrofis ad iudicium seruari curauit.

(†) Cur deus spiritus creauerit, quos peccaturos esse praeuiderat, scire nobis datum non est. Condidit et homines, quos probe sciret, legibus suis non semper obtemperaturos. Nos sane si non sumus, qui, quid ad summam, quae in uniuersum hoc cadit, perfectionem fieri necessitate fit, diiudicare possimus. Facit deus bona quaevis; impedit et coercet, quantum pro sapientia sua fieri potest mala. Sapiens est in omnibus suis operibus; iustus in poenis infligendis. Nos angelorum nobis longe perfectiorum lapsum intuentes, timeamus, ne simili culpa simile nobis paremus exitium.

Thef. X. *Nec de tempore, quo diaboli peccarunt, nec de ratione peccandi certiores nos reddit scriptura s.*

(†) Obs.

(†) *Obs. 1.* Peccasse antequam homines primos ad peccandum inducerent, clarum est.

(†) *Obs. 2.* Eos imperii in regno diu. plus sibi arrogare voluisse, quam a Deo concessum es-  
set, vero est simile. *I V D. 6.*

*Thef. XI.* *Est diabolorum quidam reli-  
quis potentior, quem scriptura s. appellat  
κατ' ἔξοχην Satanam, et a quo discernit  
angelos Satanae, eiusque regnum.*

*Ioh. VIII, 44. Matth. XXV, 41.*

*Obs.* A Iudeis appellatus Beelzebub.

*Thef. XII.* *Numerus reliquorum ange-  
lorum malorum permagnus est.*

**1.** Nam Satanas regnum habet diabolosque sibi subditos.

*Lvc. XI, 18.* Quod si Satanas a se ipso dis-  
sideret, quo pacto staret eius regnum.

**2.** patet hoc etiam ex malis diabolorum operibus, quae in omnibus terrae regionibus perpetrant.

*Thef. XIII.* *Sunt diaboli*

**1.** *versuti;* Sic e. c. Satanas homines pri-  
mos mendacio circumuenit.

*Ioh. VIII, 44. 2. cor. XI, 3.*

**2. mali**

2. *mali amantes et osores boni*, nam omne peccatorum genus promouent.

E P H. II, 2. Quibus (peccatis) vos aliquando fuistis dediti, secundum huius saeculi mores peruersos, secundum sensum *angelii mali*, in locis aereis versantis, videlicet *spiritus*, qui operatur in hominibus veritati euangelicae non fidentibus.

I. O H. VIII, 8. Qui peccatum (sciens et volens) committit, ex diabolo est; siquidem a principio diabolus peccat.

3. *vi potentes*; nam viro armato fortique diabolus comparatur a Christo.

M A T T H. XII, 29.

*Obs.* 1. Potentia et calliditate diuersi quidem, num vero in certos ordines distributi sint, non liquet.

*Obs.* 2. Corporibus, nostris similibus, non magis praediti sunt, quam angeli boni.

#### MEDITATIO.

Cum huius mundi vniuersitas, omniaque corporum et spirituum genere deo subiecta sint, nulla vis nec mala potestas viro probat timenda est. Qui tempestatum ventorumque coeret vim, qui maris fluctibus terminum posuit; profecto nunquam permittet, ut, quos caros habet, a maligna quadam natura laedantur. Superauit Christus humani generis hostem eiusque destru

destruxit imperium. Quamuis autem Dei timentibus nihil fere esse possit exitiabile; vigilandum tamen est iisdem, ne genio indulgentes, aduersario, insidias struenti, aliquem forte nocendi locum dent. Imprudentis est hostem spernere, quem oculis non cernas; sapientis, monentem de occulto aliquo periculo audire summaque cauere adhibita cura, ne corpore vel anima detrimenti aliquid capias. Hac tu ipse nos donare velis o Deus! animi vigilancia; vt quanta sint, in quibus versemur, pericula intelligamus; vt voluptatum fugiamus illecebras; vt alacres et prompti ad omne virtutis studium, prauarum superemus cupiditatum vim et omnes fortiter repellamus tentatoris impetus.

Thef. XIV. *Pergunt diaboli peccare contra Deum,*

1. *bonis nempe eiusdem operibus resistere.*

ΙΟΗ. VIII, 44 vid. p. 75.

2. *Hominum animas perdere cupiunt.* Nam

2. TIM. II, 25. Paullus Timotheum hortatur, vt malos homines grauitter reprehendat, quo laqueum diaboli euadant, qui captos eos ad arbitrium suum teneat. Et Petrus

1. PETR. V, 8. christianos admonet: Estote sobrii, vigilate, nam aduersarius vester, *diabolus*, vt leo rugiens circuit, quaerens, quem deuoret.

ΜΑΤΤΗ. XIII, 38. ΙΟΗ. VIII, 44. 2COR. IV.

3. *Quis*

3. *Quin et corpora nonnullorum vexarunt.*

MARC. V, 9-14. IX, 29. XVI, 17. 18. LVC. X, 17. 18. 19. MATTH. X, 8.

*Obs.* Hoc, quod loco tertio posuimus, num et hodienum accidat, exemplis singulis diiudicandum est, multis haud credibile videtur.

Thef. XV. *Cadit omnino in bonam et sapientem Dei naturam, permettere, vt mali spiritus hominum animos tentent, excrucient atque eorundem corpora vexent.*

1. Quod enim Deus permittit, vt hominibus fiat a malis hominibus, cur non idem permettere possit, vt faciant spiritus mali, non intelligimus.

2. Testimonia scripturae s. supra in medium prolata, quod affirmamus, satis superque probant: non enim improprie possunt intelligi, nisi scripturae s. velis vim inferre totamque eius interpretandi rationem facere *incertam*.

*Obs.* Si verum est, angelos bonos probos homines iuuare, facile intelligitur, quomodo fieri possit, vt spiritus mali, bonos et malos laedere et vexare possint homines.

Thef.

Thef. XVI. *Has malorum angelorum operationes Deus limitat, dirigit, iisque varie vtitur*

**1. ad tentandos pios.**

M A T T H IV, 1. 2. C O R. XI, 3. C O L L. I O H.  
VIII, 44.

**2. ad puniendos impios homines.**

2. C O R. IV, 4. Deus huius saeculi (diabolus) infidelium mentes ita occoecat, vt illuminari non possint per splendorem gloriofi euangelii Christi, qui imago Dei est.  
R O M. I, 26.

Thef. XVII. *Post Christi mortem et resurrectionem Satanae potestas limitibus arctioribus circumscripta est.*

E B R. II, 14. Sicuti hominum infantes corpus habent consistens carne et sanguine, simili ratione Iesu Christus eorum participes factus est, vt per mortem vinceret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum.

I. I O H. III, 8. Eum in finem apparuit (in his terris) Dei filius, vt Diaboli opera aboleret.

I O H. XII, 31.

Thef. XVIII. *Poenas impietatis quidem iam luunt diaboli; maiores autem istos exceptant, illaeque aeternae in tartaro.*

2. PETR. II, 4. IVD. 6. MATTH. VIII, 29.  
MATTH. XXV, 41. Abite a me (Christo) execrables, in ignem sempiternum, param tum diabolo eiusque angelis.

### M E D I T A T I O.

Qui malignorum spirituum more, quae mala sunt, amat et sequitur, bonus et felix esse non potest. Quis enim felicitati locus esse poterit, vbi animus ea impense amat et appetit, quae a Deo prohibita sunt? vbi peccatis commissis supremi iudicis horret vindictam? vbi, sorte sua non contentus, aliorum odio, inuidia, curis infinitis et infaturabilium cupiditatum stimulis excruciat? nulla in peccato salus, te virtutem sectemur omnes.



### C A P. IV.

#### D E C O N D I T I O N E H O M I N I S

A N T E L A P S V M.

SE V I M A G I N E D I V I N A.

Thef. I. *Homines primi perfecta felicitate externa et interna fruebantur animi beatitudine; quam mentis corporisque prae stan-*

stantiam theologi appellant statum integritatis, quia natura humana tunc erat integra, atque nondum peccato corrupta. Hac in felicitate constituti, praediti erant imagine diuina.

Thef. II. *Imago diu.* latior est in eo posita, ut homines intellectu, voluntate aliisque praediti sint facultatibus, quibus a brutis et rebus vita carentibus discernuntur.

GEN. IX, 6. Qui hominis sanguinem fuderit, ipsius sanguis per hominem fundatur; Deus enim ad sui imaginem hominem fecit.

Thef. III. *Imago diu.* sensu strictiori erat posita in perfectionibus quibusdam et animae et corporis, quibus post lapsum substitutus est homo naturalis.

COLOSS. III, 10. Induite nouum hominem, qui renouatur cognitione salutari, ut redatur similis Deo creatori suo. (Operam date, ut mente emendati deo quotidie magis fiatis similes.)

EPH. IV, 23.24. Renouamini mente et spiritu, et induite nouum hominem, conditum ad Dei creatoris similitudinem, iustitia sanctitateque vera praeditum.

GEN. I, 26. Et dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem nostram, nostri similem,

lem, qui dominetur piscibus aquatilibus, volucribus, pecudibus, toti denique terrae et quidquid in terra existit.

*Has perfectiones iam singulas considerabimus.*

Thef. IV. *Prima perfectio erat intellectus quaedam praestantia, qua homo*

1. ad veritatem intelligendam facile erat aptus.
2. nullis erroribus, qui saluti suae obfessent, per se et sua sponte obnoxius.
3. intelligentia aliqua rerum, ad hanc et futuram felicitatem necessariarum, instructus.

*Prob.* 1. Patet hoc ex primi hominis, cum actionibus, tum sermonibus. Deus enim hominem, tanquam intelligentia praeditum allocutus est; illique mandata dedit; homo optionis facultate exornatus, quid sibi necessarium esset ad perfectam vitae felicitatem sensit; vxorem sociam suam, a sorte cognouit, atque cum illa sermones habuit etc.

2. Ex eo, quod Deus illi commisit dominium in vniuersam terram. Si enim homo *Dei in fieri* in terra imperium habere debuit; opus erat, ut facultate esset donatus, rerum facile intelligendarum iisque pro Dei voluntate vtedi.

3. Ex eo, quod aliqua rerum diuinarum et humanarum intelligentia requiritur ad veram hominis felicitatem. Sine enim Dei notitia, vera pietas in homine locum habere nequit, sine pietate nulla salus.

PROV. IX, 10. Vera in Deum pietas sapientiae est principium.

DEVT. XXXII, 29.

4. Quia homo peccato corruptus sapientia de novo exornandus est. COL. III, 10.

(†) Haec doctrina probe est intelligenda. Nos enim non docemus, hominem, quam primum ac esset creatus, omnia cognouisse, quae fibi ad huius et futurae vitae felicitatem essent necessaria, sed facultate praeditum fuisse *facile intelligendi* rerum naturam officiaque erga Deum et alios, atque sensim sensimque ad maiorem rerum utilium notitiam sine magna adhibita cura pertingere potuisse.

Thef. V. Secunda perfectio erat voluntatis, bonum amantis, malum auersantis, seu iustitia et sanctitate praeditae.

Prob. 1. *Hoc vel ex eo patet, quod, quae Deus fecerit, omnia bona fuerunt.* GEN. I, 31. Si enim totus homo bonus, voluntas eius mala esse non potuit.

2. *Quia sine sanctitate nulla salus perfecta.* Quam primum enim voluntas a lege

aberrat, homo peccati sui conscientia animo conturbatur. Quod et protoplastis peccato primo commisso accidit.

*3. Quia haec sanctitas per regenerationem restituenda est.* EPH. IV, 24. Quidquid enim in Adamo amisimus, id recuperamus ope Iesu Christi. Cum igitur per Christum iustitiam consequamur et veram animi sanctitatem: recte colligitur, his perfectionibus primos homines, quatenus fieri poterat, praeditos fuisse.

*Obs.* Haec voluntatis ad bonum inclinatio- erat coniuncta cum vi et potentia se- quendi bonum propositum.

Thef. VI. Tertia perfectio erat, facili- tatum animae inferiorum cum superioribus conspiratio et harmonia felicissima; cuius rei consequens erat, ut sua sponte prava concupiscentia nulla ad peccatum commit- tendum stimularentur, ut potius per natu- ram suam vi cupiditatum bonarum ad ob- sequium Deo praestandum excitati sensu amoris et benevolentiae diuinæ ad omne bonum ferrentur.

## MEDITATIO.

O Deus! cuius natura optima est et sanctissima, qui, quam hominem conderes innocentem, et omni peccati labe purum fecisti animumque eius ita composuisti, ut non nisi bonum et iustum appeteret: rogo te, animum meum velis denuo sic conformare, ut, oppressis et extirpatis prauis consiliis, cogitationibus atque cupiditatibus, in id feratur, quod bonum fit, rectum tibique gratum; ut cohibitis animi affectionibus mei semper compos sim; ut viribus ad omne virtutis studium necessariis exornatus, vitae sanctitati diligenter studeam et ad tuam similitudinem in dies proprius accedam.

*Thef. VII. Quarta perfectio erat corporis, ea excellentia praediti, ut sanitatem et robore florens, neque morbi alicuius, neque mortis contineret semina.*

*Prob. 1. Quia lapsum tandem mortis poena sequuta est. GEN. II, 17. Ab arbore scientiae boni atque mali non vesceris, nam si vesceris ab ea, moriere (mortalis fies).*

*ROM. V, 12. Quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum introiuit et per peccatum mors: hac ratione moriendo necessitas ad omnes homines perlat a est, quia omnes peccatores sunt.*

2. Quia restaurator humani generis mortem abolet. I. COR. XV, 55. 57. coll. 25. 26. Vbi o mors! tuus est stimulus? vbi tua, o orce, victoria? Deo reddantur grates, qui nobis dat victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.

Thef. VIII. Praeter hanc naturae praefstantiam traditum erat hominibus protoplastis in totum orbem terrarum dominium.

GEN. I, 26. etc. vid. p. 83.

Thef. IX. Huic felicitati, ex naturae praefstantia orienti, accedebat ingens beneficiorum diu. copia.

1. fruebantur homines protoplasti sensu fauoris diuini iucundissimo.
2. dignabantur dei confortio familiari et reuelationibus veritatum scitu necessiarum. GEN. II, 16. 23. I, 28. etc.
3. nec dubium est, spem illos habuisse certissimam sempiternae felicitatis.

### *Probantur*

1. momenta priora ex GEN. I. et II.
2. posterius ex eo, quod eorum felicitas perfecta futura non fuisset, si eiusdem finis illis fuisset metuendus.

Thef.

Thef. X. *Commorabantur denique protoplasti in regione longe amoenissima.*

GEN. II, 8. etc. III, 23.

MEDITATIO.

Quanto sit Deus erga genus humanum amore affectus vel ex hac vna primorum hominum felicitate satis superque potest intelligi, quam omnibus eorum posteris destinauerat. Quid enim quaeſo melius et exoptatius potest finci prima protoplastorum conditione? Perfecta corporis sanitate praediti, mirabili agendi facilitate operibus fungebantur ad vitam sustinendam necessariis; triftitiae expertes, curis liberi, nec cruciatus, nec morbi vlli, nec denique mortis formidine affecti, incolentes iucundissimam regionem, omnium rerum copia affluentem, perpetua animi fruebantur laetitia, amoreque Dei dulcissimo. Eheu! perdata est peccato vna cum corporis immortalitate vniuersa haec animi incredibilis felicitas! gratias agimus tibi, caelestis pater! quod iucundam, solatii plenam huius salutis recuperandae spem nobis feceris. Non in sempiternum carebimus tua imagine. Nouam fidentibus tibi condidisti paradisum, ciuitatem caelestem, in quam corpora nostra ex puluere denuo formata, exornata immortalitate et gloria transferes. O quantis tunc fruar voluptatibus, cum ad tuam imaginem creatus intuebor te, diuine redemptor! mea spes! meum solatium.



## CAP. V.

DE CONDITIONE HOMINIS  
LAPSI, SEV DE PECCATO.

## SECTIO I.

DE PECCATO, QVOD PRIMI  
HOMINES COMMISERVNT.

Thef. I. *Cum Deus primis hominibus interdiceret fructu alicuius arboris, sitae in paradyso, ratione sapientissima hoc fecisse, facile intelligitur. Erat arbor bona illa quidem, sed, quod admodum vero simile videtur, eius fructus hominibus ad edendum non utilis. Praeterea necessarium fuit, ut Deus tanquam dominum et legislatorem protoplastis se sisteret signumque daret aliquod, in oculos incurrens, cuius aspectu nunquam non admonerentur, sumum sibi esse officium iniunctum Deo creatori et Domino clementissimo praestandi obsequium.*

Thef. II. *Licet itaque haec arbor creata sit a Deo, causa tamen lapsus idcirco neutiquam in illo quaerenda est.*

Patet

- Patet hoc ex iis,
- I. quae Deus peregit ante lapsum. Nam
    - a. indicauit arboris naturam.
    - b. interdixit protoplastis usum illius.
    - c. mortem est minatus esuris.
  - 2. deinde patet ex iis, quae fecit post lapsum.
    - a. auersatus est inobedientiam,
    - b. poenam irrogauit,
    - c. omnem denique adhibuit curam, ut peccata postea committerentur, quam fieri posset, paucissima.

Thef. III. *Vi quidem Deus protoplastorum lapsum impedire valuisse; sed per sapientiam suam hoc facere noluit, ne maius malum permittendum esset.*

Vide supra de permissione mali.

(†) Condidit deus homines primos tam bonos et perfectos, quam per rerum naturam fieri possent; multis magnisque exornauit animi viribus, quibus si sapienter fuissent usi, in bono perseverare potuissent. Quo minus vi adhibenda eos a peccato committendo retraheret Deus, permultae sapientesque obliterunt rationes. Nam si vel maxime matris mortalium manus cohibuisset et os, ne fructu vetito vesceretur: annon prava iam concupiscentia, mala

con-

confilio, superbia, incredulitate erga deum peccauerat? obedientia, extorta vi et necessitate, virtutis non est nomine digna. Sine liberae voluntatis v̄su, nulla pietas in Deum, nulla religio, nulla salus, naturis intelligentia praeditis accommodata. Permisit itaque deus statim in incunabulis generis humani lapsum leuiores, ne postea grauior exfisteret. Cum igitur ad sempiternam felicitatem hominum genus aliter pertingere non potuit, quam experientia, temptationibus, sensu boni et mali; celebremus sapientiam dei, qui et impediuit, quoad fieri poterat, peccata hominum, et libertati tamen voluntatis humanae ea in re consultum voluit.

Theſ. IV. *Cauſa lapsus externa fuit diabolus.*

1. Hoc Christus docet verbis expressis, Ioh. VIII, 44. vid. p. 75.

2. Hoc Iohannes, qui diabolum peccati auctorem appellat. I. Ioh. III, 8. Qui peccatum comittit, est ex diabolo (diabolum sequitur peccati auctorem) siquidem diabolus peccauit in ipsis rerum creatarum initiis, peccatique est auctor.

3. Praeterea Christus mundum comparauit agro, in quem herus, i. e. Deus, non

non nisi semen bonum coniici curaue-  
rit, inimicus autem (diabolus) inter  
triticum lolium sparserit. Inimicus eo-  
rum (malorum) fator est diabolus.

MATTH. XIII, 39.

Thef. V. *Ad hoc flagitium perpetran-  
dum diabolus exhibuit serpentem naturalem.*

1. Quia serpens dicitur fuisse ex animali-  
bus in terra viuentibus. GEN. III, 1.
2. Quia Deus dixit fore, vt serpentis con-  
ditio peior sit, quam reliquorum ani-  
malium.

#### MEDITATIO.

O bone deus! largiaris mihi, precor, eam  
sapientiam, vt nunquam ad sermones atten-  
dam perniciosos; vt nulla vel voluptatis, vel  
opum, vel honoris spe allectus prauum sequar  
confilium; vt mandata tua fint et maneant  
semper in animi mei conspectu posita; vt pro-  
be memor sim, eos, qui vel latum unguem  
recedant a legum tuarum tramite, in magno  
non solum versari periculo, peccata commit-  
tendi maiora, sed etiam in aeternum ruendi  
exilium.

*Obs.* Deus eadem sapientia, qua, vt pecca-  
rent homines, permisit, permettere potuit  
abusum animalis ad actionem prauam  
committendam.

Thef.

Thef. VI. *Causa interna lapsus erat abusus liberi arbitrii, ortus ex appetitu sensuum inordinato.* Audivit mater mortaliū sua sponte serpentis sermonem; adspexit fructus sibi vetiti formam; cupiditatem ex eius aspectu natam animo aluit. *Sic demum affectu fortiori nato in prauum vescendi fructu consilium abrepta est.*

Patet hoc ex lapsus historia.

### MEDITATIO.

Omnis itaque peccati fons et principium in homine ipso voluptas erat nata ex titillatione sensuum. Haec communia sunt omnium fere peccatorum initia: prava concupiscentia, appetitus fortior, malum peccandi consilium. Cum animatum aduerteret Achan ad pallii pulcritudinem, in ipsius animo furandi cupido nata est. Cum Dauides Bathsebae formam curiosius adspiceret, libidine abreptus, ex rege pio et iusto factus est mulieris corruptor, adulter, hypocrita, homicida. Foedus pangam cum oculis meis, ne adspiciant diutius rerum pulclarum et hominum formas; auertam animum a voluptatum illecebris, ne in mente, sensibus irritita, pruae nascantur libidines. Compescam deo opitulante, affectus animi, imperabo cupiditatibus, leues sperniam voluptates, dei voluntatem omnibus meis anteponam votis, et desideriis. O Pater caelestis! qui dedisti bonam hanc

hanc mihi voluntatem, largiaris et vires prom-  
tum semper tibi praestandi obsequium.

Thef. VII. *Lapsus confestim secutus est  
insolitus cupiditatum prauarum impetus, ma-  
laeque actionis patratae tristis conscientia.*

GEN. III, 7.

Thef. VIII. *Deus autem protoplastis com-  
parens, singulis poenam irrogavit debitam.*

1. mulieri, dolores in pariendis liberis,  
atque obsequium viro praestandum.
2. Adamo labores, curas, vitae aerumnas  
multas.
3. utriusque mortem malaque cetera cum  
eadem coniuncta.

GEN. III, 8.

GER. III, 16. 17. Mulierem deus ita adlo-  
cutus est: multis te adficiam aerumnis;  
tu natos cum doloribus paries; et pende-  
bis a viro tuo, imperante tibi. Deinde  
ad Adamum: quia tuae morem, inquit,  
gerens uxori, edisti de arboris fructu,  
cuius ego vsu tibi interdixeram, sit ter-  
ra maledicta propter te; quaeres ex ea  
victum multo et duro labore per omnem  
vitam, carduos et fentes procreabit tibi,  
tuque herbis vesceris e terra natis. Cum  
multo sudore victum quaeres, donec re-  
deas in humum, ex qua ortus es.

Thef.

Thef. IX. *Poena irrogata serpenti, ad diabolum in primis spectabat.*

1. Quia diabolus erat lapsus causa prima.  
vid. Thef. IV. huius Cap.

2. Quia Christus hac poena satanam affecit, atque afficit. Sicuti enim, capite alicuius serpentis contrito, nocendi vis ei demta est: ita diaboli potentia victa, atque abolita, vis ei hominibus piis nocendi per Christum eripitur, atque aliquando penitus abolebitur.

Ebr. II, 14. Sicuti pueri corpus habent carne et sanguine compositum, ita filius dei iisdem praeditus fuit, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habet imperium, hoc est, diabolum.

*Obs.* 1. Quae ad serpentem pertinebat poenae irrogatae communis pars, exemplaris tantum erat. Nec a sapientia diu alienum est, in animalium exemplo peccati commissi magnitudinem, coloribus quasi depictam, monstrare. Fecit enim hoc Deus sacrificiorum cruentorum lege; fecit idem in poena sodomiae constituta. LEV. XX, 16.

*Obs.* 2. Usus est Deus in hac poena irroganda loquendi ratione allegorica, quia ingenio et naturae hominum primorum erat accommodatissima. Nondum enim protoplasti

plasti cognitum habuisse videntur spiritus maligni naturam, vt Dei sermonem ad hunc eorumdem inimicum inuisibilem directum, penitus intelligere valuerint. Ideoque Deus serpentem nominans diabolum subintellexit.

(†) His in poenis irrogandis deus non solum iustitia, sed et incredibili usus est erga genus humanum benignitate. Sicuti enim protoplasti in peccato committendo sensuum praecipue appetierant voluptatem; ita corporis in primis doloribus plectebantur: cum forte sua non contenti, maioris felicitatis consequendae spe se decipi suissent; ad conditionem pristina felicitate longe peiore et mortem patiendam, condemnabantur. Quia denique mulier peccandi fecerat initium, maritumque blanditiis suis in erroris traxit consortium; ideo et mariti est imperio subiecta. Sic uniuicique deus iusta talione merita repedit. At non minorem in his poenis irrogandis sapientiam adhibuit atque clementiam. Nihil enim ad compescendas prauas libidines est efficacius, nihil, ad peccati commissi memoriam refricandam aptius laboribus, curis et vitae aerumnis. Dolorum perpeccione animi deprimitur arrogantia cupiditatumque inhonestarum vis infringitur; morte denique, ab omni peccato liberati sempiternae reddimur felicitatis participes. Agamus gratias deo, qui non modo beneficiendo sed et

infligendis poenis patrem se nobis praefstat gratiosum atque clementem.

Thef. X. *Hominum protoplastorum peccatum admodum graue erat atque dignum, quod Deus hac tanta, qua usus est, severitate prosequeretur. Nam*

1. transilierunt legem a Deo ipso expressis verbis latam.
2. cognitione rerum magna et viribus sufficientibus, ad obseruanda Dei mandata, erant instructi.
3. peccarunt
  - a. incredulitate; quia dubitarunt, an Deus veram fructus sibi vetitae vim indicasset.
  - b. arrogancia; quia perfectionum diuinorum consequendarum cupiditate ferebantur ad peccatum committendum.
  - c. atque sensu quodam animi ingrati, sorte sua felicissima non contenti.
4. ne mortis quidem poenam extimescentes, breuem voluptatem amori Dei dulcissimo anteponebant.

Thef.

Thef. XI. *Hoc peccato commisso, in hominibus protoplastis imago diu. (strictè dicta seu accidentalis) periit.*

Et quidem

1. quod ad intellectum, voluntatem, et appetitum sensituum.

Patet enim ex humani generis historia omnes homines ab Adamo natos, res, bonitatis speciem mentientes, pro vere bonis habere, ad vitia esse pronos, concupiscentia prava ad peccandum proclives.

GEN. V, 3. Procreauit Adamus filium, Sethum, sui similem, ad sui imaginem (non ad imaginem Dei, qua ante lapsum praeditus erat).

GEN. IX, 21. Cogitationes motusque animi humani proui (peccato contaminati) sunt a pueritia.

ROM. V, 16. Vnus (Adam) in causa fuit, ut iudicium condemnationis ferretur (in reliquos homines) omnes.

ROM. III, 22. etc. Nullum enim discrimin est, omnes (homines) peccarunt, diuinaque carent gloria (imagine diuina).

2. Quod ad *conscientiam*. Nam mente conturbati pauidique Dei praesentiam reformidantes conabantur se occultare.

3. *Quod ad vires ad legem implendam necessarias.* Nemo enim mortalium nec naturalibus, nec reuelatis legibus ex aſſe ſatisfacit.

**1AC.** III, 2. Multa enim delinquimus omnes.

4. Non ſolum perfectionibus, quibus imago diu. continebatur, ſpoliati ſunt, fed proclivitas etiam ad peccandum in illis orta eſt.

**ROM.** VII, 18. 23. Scio in me, nimirum in carne mea (quatenus natura mea peccato corrupta eſt) nil eſſe boni. Aliam legem in me eſſe ſentio, quae eſt contraria legi diuinae.

Haec animae conditio miſerrima, dicitur mors spiritualis, quam, niſi animus gratia Dei emendetur, ſequitur mors, ſeu damna-  
tio aeterna.

5. Corpus denique hominis in peccatum lapsi infirmitatibus morbisque expositum et morti ſubiectum eſt.

**GEN.** III. **ROM.** V, 12. **VI,** 23. **EBR.** II, 14. etc. **1. COR.** XV, 22.

**ROM.** VI, 2. 3. Peccati ſtipendium mors eſt, Dei beneficium vita ſempiterna per Iefum Christum Dominum noſtrum.

Theſ.

**Thes. XII.** *Lapsus protoplastorum nobis non imputatur, ea ratione, qua actiones pravae solent, quas ipsi sponte commitimus.*

1. Hoc enim esset contra rei veritatem.
2. Nec tale quid alibi in scriptura legitur.

Deus in Christo mundum reconciliavit sibi ipsi, ideoque iis non imputat ipsorum peccata.

**Thes. XIII.** *Imputatur Adami peccatum posteris eius, sicuti liberis, nondum natis peccata parentum imputari solent. Nempe per naturae nexum in reatus et poenae communionem veniunt.*

**ROM. V, 18.19.** Sicuti unius (Adami) delicto factum est, ut condemnationis iudicium deferretur ad omnes reliquos homines; sic unius (Iesu Christi) iustitia fit, ut omnes homines absoluantur, vitaeque aeternae spem recuperent.

**Obs.** Ut paucis hanc rem explicemus: ea ratione peccatum Adami nobis imputatur, qua nobis imputatur meritum Christi. Aliena culpa; alienum meritum.

**Thes. XIV.** *Nec iniustus est Deus hoc in negotio;*

1. Nam, (cuius rei demonstrationem mox afferemus) quia peccatores nascimur, peccatores nos esse censet. EPH. II, 1-5.  
ROM. V, 12-19.

2. Quia autem reliqui homines, Adami posteri, citra culpam actualem et libere contractam, in reatus communionem delati sunt; idcirco erga eosdem Deus benignitate aequitateque vtitur ea, vt propter Christum, omnem peccati reatum ab illis tollat, ita quidem, vt ratione paruulorum, recens natorum, idem sit, ac si (quod tamen fit) peccatores non nascerentur.

ROM. V, 18. 19. 2.COR. V, 19.

3. Licet itaque peccatum, quo nascimur, in se damnabile sit, tamen nec propter vnum et solum peccatum, quo homines nascuntur, hominum ullus in aeternum damnabitur.

ROM. V, 18. 19. EZECH. XVIII, 20. Homo qui peccauerit, morietur; non filius patris, non pater filii culpam luet.

**A V G V S T I N V S:** non priuatio, sed contemptus sacramenti damnat.

4. Qui autem in incredulitate vita excedentes damnantur, aeternam ii subeunt poenam

- a. incredulitatis,
- b. peccatorum suorum actualium,
- c. peccati originalis, a cuius reatu et poena, per culpam suam siue negligentiae, siue resistentiae malitiosae, liberari non poterant.

Ex quo patet, iudicandi atque agendi rationem, qua Deus hoc in negotio vtitur, esse iustissimam, nec doctrinam hanc veritatibus e rerum natura collectis, vlo modo esse contrariam.

#### MEDITATIO.

O Deus sapientia atque benignitate celebris! Iustum te esse, in omnibus tuis iudiciis atque agendi rationibus, persuasum habeo, indeque probe intelligo, te a nemine rationem requifitum eorum, quae ei non dederis, nec te vñquam plecturum, qui nil commiserit. Huius summi tui ergo genus humanum amoris documentum est luculentissimum, quod culpam ab adami peccato in nos deriuatam, per Iesum Christum clementer a nobis abstulisti atque hac ratione ostendisti omnibus, te nolle hominis vlius interitum, omnium potius salutem tibi esse caram, teque ad omnes, qui ad meliorem

mentem redeant in gratiam recipiendos, esse paratissimum. Gratosum hoc tuum de hominum salute consilium, te opitulante, omni sequar studio; sic (si modo culpa absit et mala voluntas,) nil mihi nocebit, natum me esse peccatorem.

## SECTIO II.

DE PECCATO IN GENERE  
EIVSQVE SPECIEBVS.

Thes. XV. *Est* peccatum generatim spectatum, *absentia conformitatis cum lege*.

ΙΟΗ. III, 4. Peccatum est dissensus a lege *æcupia*.

Thes. XVI. *Omnis homines, nati modo naturali et consueto, nascuntur conditione quadam legi diu. non conformi, ergo cum peccato.*

Prob. I. Quia homines peccatores, non alios nisi infantes peccatores gignere possunt.

ΙΟΗ. III, 6. Quod ex carne natum est, caro est, quod ex spiritu natum est, spiritus.

Carne natum esse, significat natum esse modo naturali cum peccato. confer. ROM. VII, 5. 14-18.

PS. LI, 9. Evidem in peccato genitus sum,  
(a parentibus peccatoribus) et in peccato  
me concepit, mea mater.

2. Quia per unius peccatum omnes ho-  
mines peccatores facti esse dicuntur.  
ROM. V, 18. 19. p. 101.

3. Quia Paullus afferit, nos, sicuti omnes  
ceteros, esse natura filios irae, id est  
condemnationis iudicio subiectos.

EPH. II, 3. Fuimus (nos Christiani) natura  
digni supplicio, sicut et ceteri.

*Natura autem supplicio dignum esse*, idem  
significare, ac secundum origenem et  
natiuitatem, patet ex locis scripturae s.  
aliis e.c.

ROM. XI, 24. GAL. II, 15. 2. PETR. II, 12.

4. Quia omnium hominum cogitationes et  
animi motus peccato aliquantum esse  
contaminati dicuntur. GEN. VIII, 21.

5. Quia a peccatoribus nasci non possunt  
nisi peccatores.

6. Quia omnes omnium hominum infantes  
ad peccandum proclives sunt; quod ex-  
perientia omnium gentium et temporum  
confirmatur.

Thef. XVII. *Hoc peccatum, hominibus connatum, positum est non modo in absentia perfectionis atque integratatis humanae naturae, sed etiam in concupiscentia prava et inclinatione actuali ad mala, quae appetere solent homines sub specie boni.*

*Prob. I. GEN. VIII, 21. p. 99.*

2. ROM.VII. tot. in primis com. 18. Scio enim, non habitare in me, hoc est, in mea carne (quatenus homo sum modo naturali cum peccato natus) bonum; velle quidem, hoc est in me, sed bono exsequendo par non sum.

3. Experientia vniuersali.

*Obs.* Appellatur hoc peccatum *haereditarium, habituale.*

Thef. XVIII. *Vi buius peccati connati homo naturalis in omnibus animae facultatibus, quin iino et corpore corruptus est.*

1. *Intellectus* eius ad errores procliuis.

EPH. IV, 22. Exuite mores vestros confuetos, veteremque hominem, animum corruptum per concupiscentias prauas fallacesque, *seu cum errore coniunctas.*

2. *Voluntas* legi diu. contraria.

ROM. VIII, 7. Carnis (hominis naturalis) sensus et affectio inimica Deo est; legi enim diu. non paret, neque parere potest.

3. Cu-

3. *Cupiditates* et animi *affectus* a Deo rebusque diu. alieni, proni ad peccandum, saepius conturbati, rationi et Spiritui S. reluctantantes.

GAL. V, 17. Animus Spiritu S. emendatus aduersatur cupiditatibus prauis, in mente residuis, et concupiscentia haec prava repugnat spiritui s. animique affectionibus bonis.

4. Corpus ita comparatum, vt cupiditatibus prauis et gignendis et alendis facile inferuiat.

Quod probatur, cum ex harmonia, quae animam inter atque corpus locum habet, tum experientia.

#### MEDITATIO.

A prima iuuentute ad multa peccatorum genera me valde procluem fuisse, qui possum negare, cum sentiam et quotidiana condocear experientia, multis me facile implicari erroribus, ad veritatis studium me esse segnem, ad mendacia, ad simulationem, ad iram, ad iniuidiam, ad alia vitia primum, in vetitum niti et cupere negata. Atque si vel maxime honestum deoque gratum peccati fugiendi et virtutis sequendae consilium ceperim, optatus tamen deest bonae voluntati successus. Haec iniucunda adhaerentis mihi peccati recordatio expellat

lat ex animo meo omnem arrogantiae sensum; meque doceat diuino aliquo opus esse mihi medico, qui naturam, peccato corruptam, sanet; qui meae subueniat imbecillitati; qui me ab omni tandem peccati reatu et morbo liberet. Ad te igitur configio, o bone deus! auctor et conditor meae naturae, citra culpam tuam peccati labe inquinatae! rogans te, ut animum meum velis emendare, atque viribus ad omne virtutis studium necessariis mihi exornato spiritus tui auxilio ita adfle, ut bonum propositum feliciter possim exsequi.

*Thef. XIX. Licet tota natura et essentia hominis naturalis peccato contaminata sit; natura tamen humana et post lapsum est permanetque dei creatura et, quatenus ab eo est, bona atque ad virtutem naturalem operaque multa egregia perficienda apta et utilis.*

*Prob. I. Experientia:*

2. ROM. I, 19. etc. et II, 14. Si enim gentiles legem scriptam (qualem iudei) non habentes, natura edant actiones legi conuenientes, ii lege scripta destituti, ipsi fibi lex sunt.

*Thef. XX. Peccatum originale connatur in omnibus hominibus usque ad vitae finem*

*finem remanet, licet valde possit vis eius  
infringi.*

*Prob. I. ROM. VII. tot.*

2. I. IOH. I, 8. *Si nos peccati expertes esse dicimus, nos ipsos fallimus, nec est in nobis veritas.*

3. *Experientia vniuersalis.*

4. *Quod peccati vis valde infringi possit patet ex locis scripturae s. permultis. e. c.*

*ROM. VI, 12. 13. Ne regnet ergo peccatum in vobis, qui cum Christo in mortem quasi traditi estis (atque ad nouam vitam resuscitati) neque concupiscentiae prauae obediatis, nec membra vestra praebeatis iniustitiae instrumenta; sed Deo vos committatis, tanquam ex mortuis ad nouam vitae sanctimoniam resuscitatos et membra vestra iustitiae instrumenta Deo consecrate.*

*Thef. XXI. Peccatum actuale est peccatum, quod oritur ex connato.*

1. *Peccata actualia interna* sunt cupiditates, cogitationes, affectus et consilia animae, legi contraria.

*MARCI VII, 22. Ex hominum enim animo prodeunt prauae cogitationes, adulteria, stupra, caedes, furta, auaritia, malitia, fraus,*

fraus, libido, inuidia, conuitia erga Deum et homines, superbia, dementia; haec omnia mala intrinsecus prodeunt et hominem polluunt.

**R**OM. VII, 17.18. Hoc ego non operor, sed habitans in me peccatum. Scio enim in me quatenus quidem natura mea depravata est, non esse bonum.

**2.** *Peccata actualia externa* sunt motus corporis, sermones et actus legi diu. non consentanei.

**G**AL. V, 19. etc. Sunt autem manifesta carnis, (naturae humanae peccato corruptae) opera, videlicet adulterium, stuprum, impuritas, luxus atque lascivia, deorum cultus, beneficium, inimicitiae, lites, aemulationes, iracundia, contentiones, seditiones, haereses, inuidia, homicidia, ebrietas, commissationes et his similia.

**T**hef. XXII. *Praecipua peccati Genera sunt sequentia:*

**i.** Peccatum est

**a.** *Voluntarium*, quod ea ratione committit homo, vt conscius sibi sit aberrationis a lege, atque deliberando malum faciat. E. c. Cain, qui vel a Deo monitus, et reprehensus, fratrem occidit. It. Iudas.

**b. In-**

*b.* *Involuntarium*, vbi hoc non fit, cuius species sunt peccata *ignorantiae*, verbi causia Paulli. 1.TIM. I, 13. *praecipitaniae*, e. c. Iohannis et Iacobi LVC. IX, 54. *infirmitatis*, quale fuisse videtur Petri, cuius Paulus meminit. GAL. II, 14.

## 2. Peccata

- a.* *Commissionis* sunt, quibus aliquid committitur legi contrarium. e.c. mendacium.
- b.* *Omissionis*, quibus aliquid omittitur lege mandatum; e.c. si quis, cui rerum copia esset, pauperibus eleemosynam dare recusaret.

## 3. Peccata perpetrant homines aduersus deum, aduersus se ipsos, aduersus alios.

Thef. XXIII. *Peccata et in se; et quod ad reatum et poenam pertinet, alia aliis maiora sunt.*

Quo maior hominis peccantis est legis et veritatum salutarium notitia. Quo maiores hominis vires ad obsequium legi praestandum. Quo plura homini antea collata erant beneficia diuina. Quo magis per officia singularia ad obsequium Deo praestandum obstrictus erat. Grauius peccat, qui sua voluntatis malitia ad peccatum perpetrandum commotus fuerit, quam qui ab aliis ad peccandum inducitur. Grauius, qui sciens volensque temptationibus ad malum se exposuerit.

Gra-

Grauius, qui leui quacunque cauffa permotus peccauerit. Peccata aduersus deum et res diu. aduers. imperantem, parentes etc. aliis grauiora sunt. Quo plura sunt remouenda obstacula, vt peccare possis, eo maius peccatum.

### MEDITATIO.

Quamuis breue sit vitae nostrae curriculum, tot tamen ac tanta peccata solemus committere, vt omnem excedant numerum; si sapientis est medici vulnus diligenter inspicere, quo facilius illi possit mederi; quid accommodatius, quid utilius homini peccatori ea cura, qua errores suos indagare conatur? Quanta enim negligentia boni faciendi occasiones praetermissimus? quanta est segnities nostra in perficiendis vitae operibus? in auxilio egenis ferendo quanta tarditas? Deo, patri indulgentissimo, infinitorum beneficiorum auctori quam raro siue dignas reddimus gratias, siue obedientiam praestamus debitam? atque quotusquisque est, qui de clementia, qua est erga nos summa diligentius cogitare vel amore illum prosequi studeat? Quanta solent animi ingratitudine multi parentum, praceptorum, amicorum beneficia obliuisci? quoque odio ferri in aduersarios? quanta inuidia obtrectare bene meritorum laudibus, sermonum lascivia, prauis consiliis malisque exemplis animos aliorum corrumpere, seque perdere ipsos? Ab hisne atque ceteris peccatorum generibus omni-

omnino immunem me esse, dicere audeam? nullo facto, nullo vñquam me verbo, vel praua cupiditate legem dei violasse? O Deus! quem nullum factum, nullum verbum, nulla latet hominum cogitatio, quomodo te cœlem errores meos? saepe enim ignorantia, saepe animi debilitate, saepius prudens sciensque ea feci, cogitaui, locutus sum, quorum me poenitet. Ignosce o pater clementissime! mihi, filio tuo, confitenti peccata, atque vnice ponenti fiduciam suam in Christi merito et gratia tua. Te omni colam virtutis studio; tibi me totum tradam et perpetua vitae sanctimonia nominis tui gloriam collustrandi consilium firmiter tenebo.

Thef. XXIV. *Peccatum, quod commiserunt Pharisei et Iudeorum doctores, vim diuinam, qua Christus miracula edebat, diabolicam esse conuictantes, dictum est a Salvatore nostro peccatum in Spiritum Sanctum.*

Christus nimirum intelligens, pessimos hos homines verbo diu. et Spiritus S. operacionibus impense reluctantes, ne quidem miraculorum vi posse commoueri, vt credant, se esse filium dei, praedixit, eos, atque eorum similes nunquam conuersum iri.

MATTH. XII, 31. etc. Omnia peccata, conuictaque remittentur hominibus, conuictia

autem prolata aduersus spiritum s. vimque diu. exferentem se per miracula, hominibus non remittentur. Quicunque locutus fuerit durum aliquid aduersus *humanam Messiae naturam*, eius peccatum veniam impetrabit, si quis vero conuitatus fuerit *spritum s. naturamque diu. cuius vis in miraculis est conspicua*, is istius peccati veniam nunquam impetraturus est.

Hoc Peccatum in se itaque erat remissibile \*): sed remitti non potuit ob *conditionem peccantium* pessimam; probe enim intellexit Christus eos esse animo sic induratos, ut ad mentem meliorem nunquam sint reddituri.

Thef. XXV. *Alienorum peccatorum homo fit particeps:*

Consulendo, praecipiendo, consentiendo, prouocando, laudando, non retegendo culpam, non puniendo, non reprehendendo, non obstando, contribuendo, defendendo, commendando denique, quem non decebat.

(†) Thef. XXVI. *Licet omnes homines usque ad vitae finem peccato contami- nati sint atque maneant, eorundem tamen con-*

\* ) Nam pro omnibus peccatorum generibus Christus satisfactionem praestitit. 1.10H.II, 2.

*conditio, quod ad peccatum pertinet, valde diuersa est.*

1. Sunt, qui per fidem in Christum mente emendati, diuino auxilio adiuti, cupiditatibus prauis imperent, atque eorundem conditio seu (vt theologi loqui solent) status est *libertatis*.

ROM. VI, 18. A peccato liberati, mancipati estis iustitiae.

ΙΟΗ. VIII, 36. Si dei filius vos liberat, tunc demum liberi estis.

2. Sunt, qui quam pruaeae sint quaedam actio-nes, probe intelligent, atque saepius induc-ant animum illas fugiendi, melioraque fa-ciendi, sed vi dominantis peccati ad easdem perpetrandas abripiuntur, horum status est *seruitutis*.

ΙΟΗ. VIII, 34. Quisquis peccatum (sciens et volens) facit, peccati seruus est.

3. Alii, quae proterue committunt flagitia ne quidem curant, eandemque ob cauillam esse dicuntur in statu *securitatis*.

2. TIM. II, 26. p. 79. EPH. IV, 17. 18. Ma-neo vos, ne et imposterum vos geratis, sicuti gentilium reliqui in vanitate animi sui se gerere solent, siquidem mente caligant, et a vera in Deum pietate sunt alieni, pro ea qua esse solent re-

rum diuinarum ignorantia, atque animi torpore.

**MATTH. XXIV, 38. 39.** Sicuti homines facere solebant tempore, quod diluuium praecessit, comedebant, potabant, contrahebant matrimonia, vsque ad diem, quo Noa in arcam ingressus est, nec irruentia iudicia diu reformidabant vsque dum veniret diluuium; sic et erunt comparati mores hominum in aduentu Messiae.

**4.** Alii denique vsu et consuetudine peccandi animo ita depravati sunt, vt omnem emendationem respuant, atque horum status est *obdurationis*.

**EXOD. IV, 21. VII, 13. IES. VI, 10. ROM. XI, 7. 8.** Reliqui (Iudeorum) mente indurati sunt; sicuti in oraculis diu scriptum est: dedit illis Deus (iustus iudex) torpentem animum; siquidem (animi) oculis suis (veritatem) non vident, et auribus suis non audiunt, ideoque saluari non possunt.

#### MEDITATIO.

Animo pertinaci sancto reluctari spiritui, cum deo dimicare potentissimo, haecce qualis est temeritas? quae amentia? haec tanta animi malitia quid efficiet aliud, quam vt anima malis suis consiliis relicta, infelix fiat mancipium cupiditatum pruarum, tandemque in aeternum

num preeceps feratur exitium. Eripe nos, o Deus misericors! ex hoc tanto periculo; illumina, forma, rege mentes nostras spiritus f. vi, vt nos, de veritate caelesti conuicti, certa persuasione teneamus, esse in nullo alio salutem nobis exspectandam nisi in Iesu Christo filio tuo; eiusque mortem iis tantum fore salutarem, qui obsequenti animo disciplinae se tradant suae; qui omne adhibeant studium fugiendi omnis generis vitia, tibique o Deus! morem gerendi. Tali obsequio tibi praestito demum nomine hominis christiani dignus euadam et gloriam sanctissimae professionis tuebor.



## CAP. VI. DE CHRISTO.

### SECTIO I.

#### DE EO, QVOD IESVS NAZAR. VERVS MESSIAS SIT.

Thef. I. *Deus ab incunabulis mundi variis figuris modisque futurum Messiam adumbravit, mirabilique sapientia imaginibus usus est iis, quae hominum, quovis tempore viuentium, ingenio essent accommo-*

*datissimae et sensim sensimque totam media-  
toris et personam et officium describerent,*

1. Postquam homines protoplasti, pecca-  
to commisso, felicitatem primam, na-  
turae suae integritatem sensumque gra-  
tiae diu. iucundum amiserant; ne omni  
folatio esset destituti, Deus illis  
praedixit, fore, vt veniat, qui ser-  
pentis, id est, Diaboli, vim letiferam  
frangat hominumque felicitatem re-  
stauret.

GEN. III, 15. Conciliabo inimicitiam inter  
te et mulierem, inter tuum atque mulie-  
ris semen, vt hoc tibi caput conterat,  
tu calcem illius mordendo laedas. Cuius  
dicti explicationem vide supra p. 96.

2. Idolatriae superstitione nata, Deus  
Abrahamum elegit eique dedit promis-  
sionem, ex eius posteris oriturum, per  
quem salus amissa, vna nimirum cum  
veri Dei cultu, ad omnes terrae gen-  
tes perueniat.

GEN. XII, 3. In te omnes terrarum gen-  
tes salutis participes reddentur.

GEN. XXII, 18. Per semen tuum (Messiam  
ex posteris tuis oriturum) salutem adi-  
piscentur omnes terrarum gentes.

QVOD IESVS NAZ. VER. SIT MESSIAS. 119

3. Eadem seminis Abrahamitici promissio Isaaco et Iacobo iterata vice contigit.  
GEN. XXVI, 4. XXVIII, 14.
4. Iacobus moriturus vaticinabatur, ex tribu iudaica nasciturum heroem, cui pacis et felicitatis humanae auctori, gentes se submittant.

GEN. XLIX, 10. Non recedet sceptrum (rēgimen) a Iuda, neque deerit, qui, ex hac tribu ortus, imperium teneat, donec veniet pacis auctor, ad quem populi (orbis vniuersi) sunt congregandi,

\*) A Davide usque ad captiuitatem babyloniam imperium erat penes tribum Iudaicam. Zorobabel ex hac tribu ortus, primus post exilium bab. imperium tenuit, et licet posthac principes et legislatores ex tribu Leuitica reipublicae habendas capesserint, imperium tamen ipsum mansit in tribu Iudaica. Atque hoc imperium non prius quam Messias venerit, penitus abolidum est.

5. Virum Mose maiorem gens Israelitica nunquam viderat; ideo unus est deinceps deus eius exemplo ad descriendum generis humani redemptorem.

**DEVT.** XVIII, 18. 19. *Vatem fuscitabo eis ex sua gente, tui similem, cuius ori verba mea suggeram, (per quem ad vos locuturus sum) quique illis eloquatur, quae cunque ei praecepero.*

**6.** Tandem *Dauidi* pollicebatur Deus, futurum, vt ex eius posteris nascatur, qui

*a.* omnibus gentibus imperet.

**PS.** II, 8. *Pete a me (o mi fili Messias) et dabo gentes tibi in haereditatem orbemque vniuersum tuo dominio subiiciam.*

*b.* pro hominibus cruciatus subeat et mortem violentam.

**PSAL.** XVI, 9. 10. *Corpus meum secure iacebit. Tu enim me non relicturus es in sepulcro, nec es passurus, vt pius tuus (Messias qui summa pietate te colit) corruptionem patiatur.*

**PSAL.** XL, 13. *Me (Messiam) mala circumdant innurierabilia, iniquitates (hominum propter quos patior) me persequuntur et sic opprimunt, vt eorum copiam fere non possim animo et cogitatione capere.*

*c.* qui exaltatus ad dextram Dei, doctrina et vi omnipotenti hostes suos sibi subiiciat.

**PSAL.** CX, 1. 2. *Dixit Iehouah domino meo: (hominum redemptori) sede ad dextram meam, donec hostes tuos, ad scabellum pedum tuorum prostratos, tibi subiecero.*

\*) Iona

## QVOD IESVS NAZ. VER. SIT MESSIAS. 121

\* ) Iona nihil, Amos et Hosea pauca habent,  
quae siue ad Messiam, siue ad eius re-  
gnum spectent.

### 7. Iesaias praedixit Messiam

a. a virgine natum iri.

IES. VII, 14. Ecce virgo praegnans pue-  
rum pariet, quem nomine vocabit Ema-  
nuelem.

b. habitaturum in regionibus Galilaeae.

IES. IX, 1. Terra Sebulon et Napthali, Ga-  
lilaea gentium, populus, in tenebris habi-  
tans maximis, *lucem* vidit magnam. (Mes-  
siam orientem eiusque doctrinam mentes  
hominum collustrantem.)

c. fore Deum et hominem.

IES. IX, 6. Puer nobis natus, filius nobis  
datus est, qui principatum geret, qui vo-  
cabitur et erit mirabilis, consiliarius,  
*Deus potens*, pater saeculorum, (creator  
omnium rerum conditarum) princeps pacis.

d. magnis multisque Spiritus S. donis exor-  
natum.

IES. XI, 1. Orietur virga ex trunko Isai,  
et germinabit ex eius radicibus furculus  
(ex familia Dauidica, ad incitas redacta,  
orietur Messias) qui semper praeditus erit  
spiritu Iehouae, spiritu sapientiae, intel-  
ligentiae, consilii et fortitudinis, scientiae  
et pietatis erga Deum.

e. praemissorum aliquem, qui populum iudaicum praeparet, ut regem suum digne excipiat.

**I**ES. XL, 3. Est in solitudine vis voce alta clamans: parate viam Iehouae, efficite Deo nostro in locis desertis semitam planam et rectam. Valles attollantur; montes collesue deprimantur; praua redigantur in recta, iniqua in plana. (h.e. poenitentiam agendo praeparate mentes, ut digni sitis, qui Messiam excipient, salutisque per eum parandae quadatis participes).

f. illum regem fore, non armis et bello, sed doctrina et vi diuina gentes sibi sufficiensem, restauratorem religionis verae, auctorem pacis et felicitatis aeternae.

**I**ES. XLIX, 6. Parum est, ut mihi sis seruus, quo utar in restituendis Iacobitarum tribubus, instaurandisque Israëlitarum ruinis. Te etiam ceteris gentibus dabo lumen (scientiae rerum diu. et omnis verae felicitatis auctorem) ut pateat mea salus usque ad extremos terrae fines.

g. ipsum futurum doctorem perfectissimum.

**I**ES. LXI, 1. Spiritu Domini Iehouae praeditus sum; Iehouah enim vnxit me atque misit ad annunciatum miseris laetum nuntium, ad consolandos tristium animos, ad indicandam captis libertatem vincisse que

que solutionem carceris, ad praedicandum tempus quo Iehouah fauorem suum copiose exercebit.

*h.* pro omnium hominum peccatis cruciatus subiturum et mortem ignominiosam. IES. LIII.

*i.* e morte in vitam restitutum gloria sempiterna iri affectum. IES. LIII. 10 - 12.

8. Reliqui prophetae tum, quae antea erant de redemptore hominum praedicta, repetierunt, tum, nouis vaticiniis prolati s eius personam et opera distinctius descripsierunt.

*a.* Micha oppidum designauit Bethlehem Ephrata, ubi nascendus erat.

MICH. V, 1. 2. Et tu Bethlehem Ephrata, (sit in tribu Iudaica) quamuis minoribus praefecturis Israeliticis adnumeranda sis, exte tamen orietur, qui Israelitarum dux et imperator sit.

*b.* Zephania verbis magis perspicuis, quam antea factum erat, praedixit, Messiam idolorum cultum extirpatum.

ZEPH. II, 11. Nam omnes ubique terrarum deos ad incitas rediget \*) et adorabunt eum

\*) extirpabit. hebr. rad. מִצְרָא macie consumfit, emaciauit.

**124 DOCTR. CHRIST. CAP. VI. SECT. I,**

eum omnes gentes, omnesque populi in suis regionibus \*\*).

c. Ieremias repetiit promissionem, ex Dauidis familia natum iri regem illum et dominum populi Israelite.

**IEREM. XXIII, 5. etc.** Futurum est, inquit Iehouah, vt suscitem ex stirpe Dauidis iustum aliquem virum, qui rex sapienter feliciterque regnet et iustitiam aequitatemque administret in terris.

d. Daniel tempus accuratius definiuit, quo Messias venturus esset.

**DAN. IX, 24.** Septimanae septuaginta constitutae sunt genti tuae et vrbis sanctae. (Hierosolymae). His praeterlapsis peccati vis infringetur, eiusque reatus tolletur, (obligabitur) iniqitas (humani generis) expiabitur, iustitia aeterna restituetur, vaticiniis prophetarumque sermonibus completis verum sanctuarium (ecclesia Messiae) initiabitur,

(†) Tironibus notasse haec pauca sufficiant:

i. Certum esse et exploratum, hoc in loco de aduentu Messiae sermonem esse. Messiam enim vaticiniis impletis peccati vim infregisse eiusque reatum tulisse constat

IES.

\*<sup>1</sup>) Vocis ~~“<sup>1</sup>”~~ hanc esse vim probauit egregie celeb.  
**MICHAELIS** in Spicilegio Geographiae pag.  
31. seq.

IES. LIII. Ebr. IX, 12. 16. multisque aliis locis.

2. Siue Xerxem, siue quod vero similius est, Artaxerxem Longimanum circa annum 354° mandatum ad aedificandum templum atque urbem Hierosolymam a Cyro datum repetiisse. Vnde factum sit, ut Esrae et Nehemiae in primis consilio atque auctoritate urbs aedificaretur.

3. Christum natum esse circa annum 3990–4000. quoniam horum annorum, certo dici non posse.

4. Mortuum itaque circa annum a mundo condito 4029 vel 4030.

5. Iam rationes subducantur:

a)	<i>Vaticinium Danielis scriptum est circa annum mundi</i>	354°
b)	<i>Septuaginta septimanae conficiunt annorum numerum</i>	49°
c)	<i>Ergo impletum est vaticinium iusto tempore</i>	4030

Reliquae huius loci difficultates doctioribus relinquendae sunt.

6. Ioel vaticinatus est, Messiam largissimis Spiritus S. donis homines instrucentur.

IOEL III, 1. His factis (reuocatis ex Babylonia Israelitis) futurum est, ut effundam spiritum meum super omne genus hominum (non solum omnibus Israelitarum familiis,

miliis, sed et gentibus commune hoc erit beneficium) et vaticinabuntur vestri filii et filiae, vestri senes somnia habebunt, diuinitus immissa, iuvenesque propheticas visiones, quin et feruos et ancillas illis temporibus meo spiritu profundam et in caelo terraque edam prodigia.

f. Ezechiel Messiam Dauidis nomine insignitum ceu pastorem et regem descripsit.

EZECH. XXXIV; 23. Ego autem eis pastorem vnum suscitabo, qui eos (Israëlatas) pascat, meum *Dauidem*, qui boni pastoris fungetur munere.

g. Zacharias animalia nominauit, quibus Christus solemni quadam ratione Hierosolymam effet introiturus.

ZACH. XII, 10. Exulta vehementer puella (oppidum) Zion, exclama laetabunda vrbs Hierosolyma, ecce tibi venit rex tuus, iustus, salutis restaurator, mansuetus, equitans in asino et asino pullo.

h. Malachias denique illum praedixit eandem in urbem atque in templum quidem ad purganda sacra venturum; praeterea Iohannis personam, Eliae imagine, distinctius expressit.

MALACH. IV, 5. 6. Antequam veniat dies magna atque terribilis (excidii Hierosolymitani) ego vobis missurus sum Eliam (vatem aliquem Eliae persimilem) qui parentum

rentum et natorum animos conuertet ad veram pietatem in Deum.

Thef. II. *Haec oracula, quim in Iesu Nazareno et per eum ad vnum omnia accuratissime impleta sint, facile inde colligitur, eum esse legatum diuinum, promissum generis humani redemptorem.*

Impleta esse in Iesu haec vaticinia patet ex historia vitae eiusdem et religionis christiana, patebitque amplius ex dicendis. Considerabimus enim *proprietates et opera Christi*, seu ut Theologi loqui amant, *personam, status et officium seruatoris.*

## SECTIO II.

### DE PERSONA CHRISTI.

Thef. III. *Quum imaginum varietate adeo mirifica in oraculis adumbratus fuerit saluador hominum, multa eius et varia inde nomina nata sunt. Ideo appellatur propheta, mediator, μεσίτης ἀρχιερεὺς, Δαβὶδ, Βασιλεὺς, σωτὴρ, ποιμῆν, κύριος, Πῶμ, χριστός.*

Thef. IV. *Christum Dei esse filium aeternum, multis supra euicimus argumentis.*

vid. Cap. I. Thef. XXX.

Thef.

Thef. V. *Christus verus est homo.*

Nam

1. sic appellatur,

1.TIM. II, 5. Vnus enim Deus est, vnus et mediator Deum inter et homines, *homo Christus Iesus.*

2. filius hominis dicitur saepius, in oraculis diu.

3. particeps factus est carnis humanae,  
EBR. II, 14. p. 81.

JOH. I, 14. Verbum caro factum est, (filius Dei humanam induit naturam) et habitauit apud nos, (plenus gratia veroque amore, benignitate et clementia erga homines) eiusque splendorem (perfectiones summas diuiniasque) ut vnigeniti filii Dei patris vidimus. (in miraculis nempe, in monte, splendore circumfusus, a nobis conspiciebatur, item cum caelum ascenderet etc.) EBR. II, 14. p. 96.

#### MEDITATIO.

Multae quidem citra dubium magnaeque fuerunt causae, quae deum commouerent, vt redemptorem nostrum vellet esse hominem, non angelum, neque ex alio creaturarum genere ortum; quas rationes, si non possumus omnes indagando cognoscere, aliquas tamen cogitando eruere vtile erit. Hominum protoplastorum pec-

peccato omnes reliqui in pernicie societatem coniecti sunt: alterum idēo constituit deus humani generis caput, quo eius interuentu et ope, omnes ab interitu vindicati ad salutis denuo acquisitae communionem pertingere possebant. (ROM. V.) Praeterea diuinus felicitatis nostrae auctor et stator nobiscum arctissimis, quam fieri posset, vinculis erat copulandus, quo eo<sup>rum</sup> lubentiori animo rem nostram ageret, infirmitatibus nostris promptum ferret auxilium atque tandem loco nostrum poenam subire posset. Hanc enim mortis poenam deus hominibus peccaturis erat minatus, haec ab homine quodam loco reliquorum erat sustinenda, ut iustitia diu omnibus et hominibus et reliquis spirituum generibus eo magis fieret conspicua. Denique et hoc considerandum est, dei filium humana natura indutum, potuisse relinquare nobis praeclarissimum virtutis exemplum.

Thef. VI. *Filius Dei humanam Iesu Nazareni naturam ita secum coniunxit, ut una tantum ex duabus naturis existaret persona.*

Thef. VII. *Licet Deus trinus fuerit cum homine Iesu aliqua ratione coniunctus, nec tamen Pater, nec Spiritus S. humana Christi naturam ea ratione secum coniunxit, ut dici posset, siue Patrem, siue*

siue Spiritum S. hominem esse factum.  
*Nam diuersimode agere possunt personae diuinæ.*

Thef. VIII. *Hinc filius dicitur missus a patre, vt a muliere homo nasceretur.*

ΙΩΗ. III, 16. vid. p. 17.

GAL. IV, 4. Postquam tempus constitutum aduenit, misit Deus filium suum ex muliere natum, qui legi fuit subiectus, vt legi subditos redimeret, quo adoptationem adipisceremur.

(†) Filius dei si a patre missus dicitur, hoc pro naturae suae ratione et indole intelligendum est. Cum enim filius dei aequa ac pater omnis sit mutationis expers, patet, ipsum ex loco in alium mitti non posse. Nec desit esse deus, cum homo fieret; sed est, sicuti erat semper, deus, vi praeditus infinita, vbiique locorum praesens, omnes res creatas conseruans et dirigens. Hic autem aeternus et immutabilis dei filius secum coniunxit humanam naturam, natam ex Maria virgine, Iesum Nazarenum. Per hunc hominem filius dei in terris humano generi apparuit, per hunc locutus est, per hunc miracula edidit, eundemque eadem ratione secum habet unum, sicuti corpus nostrum est coniunctum cum anima. Quemadmodum enim anima habitans in corpore huma-

no,

no, *persona dicitur una*, sic filius dei habitans in homine Iesu non est, *nisi una persona*, consistens naturis duabus, diuina atque *humana*.

Thef. IX. *Erat igitur humana Christi natura naturae reliquorum hominum similis.*

**1. iisdem composita partibus.**

EBR. II, 17. Proinde debuit esse per omnia fratribus similis, ut misericors fieret filiusque pontifex in rebus diu a Deo sibi demandatis, quo populi expiaret peccata.

**2. infirmitatibus multis obnoxia, MATTH. VIII. somno. IOH. IV. siti etc.**

EBR. IV, 15. Non enim eum habemus pontificem, qui nostris infirmitatibus adfici et animo commoueri non posset, sed qui sit in omnibus tentatus, sicuti nos, excepto peccato.

*Ratio.* 1. quia sponte has infirmitates suscipere volebat.

2. quia ad opus redemtionis erat necessarium.

3. quia patientiae et aliarum virtutum, omnibus numeris absolutum nobis exhibere cupiebat exemplum IOH. XIII, 15.

Thef. X. *Multis tamen nominibus reliquos homines antecellebat homo Iesus. Eius enim natura erat*

**I.** sine peccato.

EBR. VII, 26. *Talis enim nobis constituedus erat pontifex, qui esset sanctus, peccati expers, intemeratus, separatus a fontibus coelisque sublimior.*

IES. LIII, 9. *Scelus fecit nullum, neque in eius ore fraus fuit vlla.*

I.PETR. I, 19. *Redemti estis pretioso sanguine Christi, tanquam integri omnique vitio carentis agni.*

**2.** infirmitatibus ex peccato orientibus et cum peccato connexis non obnoxia.

**3.** immortalis, quia peccato expers erat.

ROM. V, 12. p. 85.

**4.** egregiis donis naturalibus instructa.

**5.** donorum supernaturalium affluentia exornata.

ACT. X, 38. *Deus illum (Iesum) Spiritu S. atque magna vi vnxit et exornauit.*

**6.** cum natura diu. arctissime et personaliter vnta.

Thef. XI. *Haec vnio personalis est posita in eo, quod filius Dei per humanam natu-*

*naturam Iesu Nazareni in terris apparuit, egit atque locutus est, iamque in coelis per eandem se visibilem praebet, in ea adoratur a coelitibus, mundumque regit.*

(†) *Licet Deus cum aliis etiam hominibus vnitus sit, hac tamen ratione, praeter Iesum, cum hominum nullo. Nam*

**1.** *is, quem viderunt Apostoli in carne, fuit filius Dei aeternus. IOH. I, 14.*

**2.** *is, qui loquebatur ad homines per Iesum, fuit filius Dei.*

EBR. I, 1. *Multifariam rationeque multiplici locutus est olim Deus ad patres, in postremis autem temporibus per filium. (per quem mundum condidit. v. 2.) Inde est, quod filius Dei sanguinem suum profudisse pro hominibus, esse crucifixus dicitur mortique traditus; haec enim omnia ei contigerunt in humanitate sua. ACT. XX, 28. 1.IOH. I, 7.*

Thef. XII. *Vi huius unionis personalis, humana Christ natura particeps facta est perfectionum diuinarum. Quod quidem non est ita intelligendum, ac si homo Jesus in Deum esset conuersus, vel per se factus sit omnipotens, omniscius etc. Neutrum enim fieri potest. Est et manet Deus*

vnius, omnipotentia; omniscientia vna; homo autem Iesus, ea ratione, qua id fieri potest, per unionem personalem huius omnipotentiae, omniscientiae, omnipraesentiae etc. usum aliquem habet, seu harum perfectionum in se habitantium, ratione ea, qua fieri potest, particeps fit. Ut huius doctrinae nostrae veritas demonstretur, singula attributa consideranda sunt. Huma-  
na Christi natura particeps facta est

### 1. omnipotentiae diuinae,

MATTH. XXVIII, 18. Mihi (Christo) data est omnis potestas in caelo atque in terra.

\*) Quaecunque autem Christo data sunt in tempore, data sunt humanae ipsius naturae.

1.COR. XV, 21. Omnia enim Deus pater eius pedibus subiecit; cum autem dicit, omnia ei subiicienda esse, id sic est intelligendum, ut is excipiatur, qui ei subiecerit omnia (scil. Deus pater.)

### 2. omnipraesentiae.

MATTH. XXVIII, 20. Ego apud vos futu-  
rus sum perpetuo, usque ad finem saeculi.

MATTH. XVIII, 20. Vbi sunt duo tresque  
congregati meo nomine (ut Deum co-  
lant more, quem vos docui) illic ego  
sum inter eos.

### 3. omni-

3. *omniscientiae.*

ΙΟΗ. V, 27. Eique (Messiae) etiam quatē-nus homo est, potestatem dedit iudicium exercendi. Ad ferendum iudicium de omnibus omnium hominum operibus, sermonibus, cogitationibus animique motibus omniscientia opus esse, quis est, qui non intelligat?

COL. II, 9. In quo sunt, tanquam in suo domicilio *omnes perfectiones diu. realiter.*

(†) Vna tantummodo est vis diu. omniprae-fens atque omnipotens; nec posunt diu. perfectiones hominum cuidam aut angelo, ita impertiri, vt natura finita et creata in infinitam et omnipotentem mutetur. Particeps tamen fieri potest natura finita aliqua ratione perfectionum diuinarum. Sicuti enim corpus coniunctum cum anima ratione praedita, propter ipsam hanc vniōnem, agit animae viribus, quibus viuum redditur, mouetur et sustentatur: sic homo Iesus agit sustentatus vi diuina in eo habitante et secum modo arctissimo coniuncta. Vi huius vniōnis cum natura diu. homo Iesus vbique operari, vbique praesentem se sistere, omnibus imperare rebus creatis, omnium spiritum rex esse potest et iudex supremus.

Thef. XIII. *Hacce vi diuina et gloria in eo habitante, Christus in his terris degens non semper vsus est. Quam ob cau-*

*sam status, quos vocant, et exinanitionis  
et exaltationis considerandi sunt.*

### SECTIO III. DE STATV EXINANITIONIS.

Thef. XIV. *Status exinanitionis Iesu Christi erat conditio eius humiliis, qua humana eius natura, vi diuina et gloria, cuius particeps erat facta, non semper vti solebat. E. c.*

*Omniscientia,*

MATTH. XXIV, 36. Ceterum diem illam (in qua ad iudicium cum ad hierosolymam, tum ad iudicium extremum apparitus sit Dei filius) nullus scit, ne caelestes quidem angeli, sed meus pater, isque *solus*.

*Omnipotentia, MATTH. IV, 2. etc.*

*Maiestate diu.*

2.COR. VIII, 9. Cognoscitis enim domini nostri Iesu Christi benignam erga nos voluntatem, qui, quum diues esset, propter vos pauper factus est, vt vos eius paupertate ditaremini.

(†) Erat id quidem amoris erga genus hum. incredibilis documentum illustrissimum, quod filius dei altissimi non repudiaret humiliis nostrae naturae consortium; sed quamuis esset homo natus, potuisset nihilominus vi sua vti omnipotenti, gloriaque et maiestate, atque hoc splendore

dore exornatus hominum oculos in se conuertere, omniumque rerum copia affluens, vitae deliciis frui exquisitissimis. At enim et hoc facere noluit; sed diues cum esset et omnium rerum dominus, paupertatem tamen subiit spontaneam; vi et potentia, qua pollebat, raro usus, infirmitatumque humanarum sensum multipliciter expertus, curas, labores multos et vitae aerumnas tandemque cruciatus subiit acerbissimos, et mortis genus valde ignominiosum.

Thef. XV. *Causa efficiens seu auctor huius exinanitionis est*

1. Deus Pater, qui Filium misit. GAL. IV, 4. p. 130.

2. Christus, qui se ipsum exinaniuit.

PHIL. II, 6. 7. Christus licet natura Deus esset, tanquam de rapina aliqua hac de sua diuinitate gloriatus non est, sed se ipsum exinaniuit (usu maiestatis diu. plenario sua sponte se abdicauit) ut summa seruili forma fieret hominum similis et figura externa sicut hominum esset qui quis e grege alias; adeo se se reddidit humilem, ut obediens esset usque ad mortem et quidem ad mortem crucis.

Thef. XVI. *Modi exinanitionis, (quos gradus vocare solent), erant multiplices.*

1. Humili nascendi forte in mundum venit.

138 DOCTR. CHRIST. CAP.VI. SECT.III.

2. Imbecillitatibus humanis fuit obnoxius;
3. et humili vitae genere usus est.
4. Multis obtrectationibus atque persecutionibus expositus.
5. Cruciatuſ tandem ſubiit acerbiflmos et mortem ignominiosam.
6. Denique ſepultus.

Vide historiam vitae Iefu Christi in Evangeliiſ.

Theſ. XVII. *Licet per totam, quam bis in terris egit vitam, exinanitus fuerit, ſaepius tamen vi diu. usus est, ſaepius a Deo patre miraculis honoratus.*

МАТН. III. VIII. IX. XV. ІОН. II. V. IX. XI.

Theſ. XVIII. *Rationes, ob quas Christus exinanitus est, ſunt fere ſequentes:*

1. vt expiaret peccata hominum.
  2. vt uſu et ſenu imbecillitatis humanae misericors fieret ſacerdos. EBR. II, 17. 18. pag. 96.
  3. vt ſummi erga nos amoris documentum exhiberet luculentiffimum.
- ЕРН. V, 2. Amore alios prosequimini, ſicut et Christus adamauit nos, atque ſe ipsum pro nobis tradidit.
4. vt exemplum nobis relinqueret, quod ſequi posſemus, praeftantiffimum. PHIL. II, 5.

I.PETR.

I.PETR. II, 21. Christus pro nobis iniuriam passus est, relinquens nobis exemplar, vt sequamini eius vestigia.

## MEDITATIO.

Gratias agimus tibi Saluator diuine! pro eo, quo fuisti erga nos incredibili amore, atque benevolentia, quod humili natus forte, paupertatem, contemtum, conuitia malorum hominum, omnisque generis molestias, atque calamitates, mortem denique subiisti acerbissimam. Ita te ipsum sponte tua affligendum praebuisti, vt non solum, infirmitatum nostrorum sensu affectus, misericors fieres et ad promptum nobis auxilium ferendum paratus, sed et vel in primis peccatorum nostrorum poenas in te susciperes atque praestantissimum nobis relinqueres exemplum amoris, patientiae, mansuetudinis erga hostes, obedientiae erga Deum, virtutumque reliquarum omnium. Hoc tuae vitae semper ante oculos nostros versetur exemplar, vt tuis insistentes vestigiis aliorum commodis lubenter inferuiamus; vt omnes, non amicos solum, sed et aduersarios sincera amplectamur caritate; vt quicquid accidat, quamvis durum sit et iniucundum, generoso feras mus animo; vt patris caelestis voluntati totos nos tradamus et quantum quidem pro imbecillitate nostra poterit fieri, obsequium usque ad mortem ei praestemus promptissimum.

SECTIO IV.  
DE STATV EXALTATIONIS.

Thef. XIX. Exaltatio *Iesu Christi* in eo erat, vt *humanis infirmitatibus depositis, perpetuum perfectionum diu. honorisque diu. usum quoad humanam naturam suscepit.*  
 PHIL. II, 9. pag. 32. EPH. I, 20. pag. 72.  
 MATTH. XXVIII, 18. p. 66. *Ex quo patet, quid sub statu exaltationis theologi intelligant.*

*Obs.* Sensu ab hoc plane diuerso utitur Christus hac voce IOH. III, 14. VIII, 28. XII, 32.

Thef. XX. *Suscepit itaque Christus etiam quoad humanam naturam, ratione ea, qua fieri potuit, usum perpetuum*  
 1. omnipotentiae, omnipraesentiae, omniscientiae, MATTH. XXVIII, 18.  
 EPH. I, 20.

2. gloriae et maiestatis diuinae.

PHIL. II, 9. etc.

I.PETR. III, 22. Christo in caelum profecto positoque ad dextram Dei angeli subjecti sunt, spiritusque potentia maxima praediti.

Quae

(†) Quae supra ad explicandam Thesin XI. huius capititis adiecimus, hic repetenda esse censemus, nos haud afferere: Iesu Christi humanitatem *commutatam esse in talem naturam*, quae per se sit omnipotens, sed hominem Iesum propter unionem cum natura diuina ardissimam atque perpetuam, quam personalem dicunt, ea ratione, qua id fieri potest, participem fieri omnipotentiae, omnipraesentiae, aliarumque perfectionum diuinarum. Neque nos, salvatori nostro cultum praestantes religiosum, idolatriae et superstitionis accusare possunt aduersarii. Adoramus enim *Filiū Dei in homine Iesu in caelis adparentem*, seu adoramus hominem Iesum, quia cum *Filio Dei una eademque inseparabilis est persona*, quia aeternus Dei Filius hac in *forma humana* coli vult et glorificari.

Thes. XX. Causa efficiens seu auctor exaltationis est in primis Deus pater, reliquis personis diu. non exclusis.

PSAL. CX, 1. etc. PHIL. II, 9.

IOH. XVII, 5. Tu me iam o pater apud te ipsum (etiam quod ad naturam humanam) gloria induas atque illustres, qua (quod ad naturam diu. attinet) praeditus eram apud te ante incunabula mundi.

EBR. II, 8. Omnia eius pedibus subiecisti. Atque hoc quidem ita factum est, ut omnia ei subiiendo, nihil relinquetur, quod ei subiectum non sit.

Thef.

Thef. XXII. *Rationes, ob quas exaltatus est, sunt:*

**1.** vt diuina natura filii Dei humano generi notior fieret.

ΙΟΗ. V, 23. *Vt omnes filium honorent sicut patrem.*

**2.** vt humana Christi natura ad usum plenarium et non interruptum gloriae diu. perueniret, cuius per unionem cum diu. natura particeps facta erat.

Ι. COR. XV, 27. EBR. II, 8.

**3.** vt luculentissime constaret, peccata humani generis omnia per eius mortem esse expiata.

ΡΟΜ. IV, 25. *Christus propter peccata nostra traditus est, et propter iustitiam nostram a mortuis resuscitatus.*

ΕΒΡ. VIII, 1. *Talem habemus pontificem, qui confedit ad dextram solii gloriosi in caelis.*

**4.** vt Spirirum S. mitteret fidelibus.

ΙΟΗ. XVI, 7. *Ego vobis verum dico, expedite vobis, si discedam ad patrem: nisi enim discessero, paracletus, (diuinae veritatis interpres, spiritus sanctus, doctor vester et consolator,) ad vos non veniet.*

5. vt

5. vt regimen vniuersi capeſſeret omniaque dirigeret ad promouendam ſubditorum fuorum ſalutem.
6. vt cauſam noſtram ageret apud deum patrem.

Ι. IOH. II, 1. Quod ſi quis peccauerit, cauſae patronum (aduocatum) habemus apud patrem, Iefum Christum, qui cum ipſe iuſtus eſſet, peccatorum noſtrorum expiationem prafertit.

Thes. XXIII. | Gradus *exaltationis recentent theologi* quinque, *quorum primus eſt* descensus ad inferos, *qui conſistebat in eo*, vt Christus in locum damnatorum deſcenderet, ibique ſe ſifteret victorem dominumque hoſtium.

EPH. IV, 9. Quod ſi autem dicitur, Christum ascenſiſe (in caelum) innuitur eum antea deſcenſiſe in imas terrae partes. Et idem ille qui deſcenderat (in loca mundi infima \*) etiam ascendit, vt omnia compleret, (vbique praefentem ſe ſifteret in terra, in inferno, in caelis.)

I. PETR. III, 18. 19. Necatus quidem eſt Christus quod ad humanam naturam, in vitam

\*) Doctores iudaici mundi tres faciunt partes, caelum, terram, et infernum ſub terra, ſeu locum omnium rerum infimum,

vitam autem restitutus per vim diu. naturae, qua etiam (post restitutionem in vitam) profectus est, vt tanquam praeco victoriam suam annunciatet in loco, quo carcere inclusae sunt animae (praeter alias et eorum hominum,) qui olim pro incredulitate sua ad meliorem mentem redire noluerunt, quum Noae temporibus deus clemens, et ad vindictam tardus expectaret, vt poenitentiam agerent.

(†) Nec de tempore, nec de modo huius descensus subtiliter disputandum est. Sufficit probe tenuisse hoc vnum: Christum morte sua effecisse, vt iis, qui spem suam ponant in ipso, mandatisque diuinis praestent obsequium, nulli post mortem cruciatus timendi sint. Vbi mors! tuus est stimulus? Vbi tua, o orce! victoria? Deo sit gratia, qui nobis victoriam dat per dominum nostrum Iesum Christum. 1. COR. XV, 54. etc.

Thef. XXIV. *Restitutionem Christi mortui in vitam gradum appellant exaltationis alterum.*

### 1. Resuscitauit Christum

#### a. Deus pater.

ROM. VI, 4. Quam. potentiam (deus pater) et virtutem exseruit in Christo, quum eum ex mortuis resuscitaret.

b. Re-

b. Restituit se ipse in vitam.

IOH. X, 18. Potestatem habeo vitam meam ponendi, idemque praeditus sum vi et potestate me in vitam restituendi.

(†) 2. Prodiit e sepulchro corpore ab infirmitatibus humanis liberato atque a natura corporis nostri paullum diuerso, licet, quamdiu in his terris manebat, nondum penitus glorificato: quod patet in primis ex IOH. XX, 25.

3. Resuscitatus est Christus, vt probaretur

a. satisfactionem ab eo praestitam perfectam esse, ROM. IV, 25.

b. vt confirmaretur, eum esse filium dei, ROM. I, 4.

c. vt gloriae et maiestatis diu. etiam quoad humanam naturam fieret particeps.

#### MEDITATIO BREVIS.

Quod tu olim o Iesu! discipulis tuis, idem et mihi dedisti promissum: *viuo ego, et vos viuetis.* In te ad ultimum usque vitae halitum ponam fiduciam meam. Tu primus a mortuis resuscitatus vitae fons es et auctor: qui in te credit, non morietur.

Thef. XXV. Tertius gradus est eius ascensio in caelum.

## 146 DOCTR. CHRIST. CAP. VI. SECT. IV.

1. assumxit illum deus pater.
2. ascendit in caelos a monte oliuarum  
**ACTOR. I, 12.**

3. ut ad usum gloriae plenum pertingeret.

**IOH. XIV, 28.** Si me ameratis, gaudio afficeremini, quod dixerim, me ad patrem profecturum; pater enim (quod ad hanc conditionem meam et formam humilem attinet,) est maior me.

4. ut sacerdos summus pro nobis oraret.

**ROM. VIII, 32. 33.** Quis dei dilectos accuset? Deus est, qui absolvit. Quis est, qui damnet? Christus (pro nobis) mortuus est, quin imo a mortuis resuscitatus ad dei dextram est pro nobis supplicans.

### MEDITATIO.

Cum tu sis in caelis diuine redemptor! ad caelestia animus meus fit praecipue intentus. Rebus itaque vanis et fluxis sic utar, ut aeternarum spe non excidam. Non enim huic tantummodo terrae natus, caeli ciuis, immortalis, gloriae aeternae haeres sum.

**Thes. XXVI.** Gradus quartus: *cessio ad dextram dei, qua, gloriae supremae particeps factus, imperium in mundum capessiuit uniuersum.*

**1. PETR. III, 22. p. 72. EPH. I, 22. p. 72.**

**Thes**

Thef. XXVII. Gradus quintus est omnis futura declaratio gloriae ipsius, quae in iudicio extremo in primis erit conspicua.

ACTOR. I, II. Iesu qui in caelum receptus est, eodem pacto veniet, quo vidiisti eum discedere.

MATTH. XXV, 31. Quum autem venerit Meffias cum sua gloria atque cum eodem omnes sancti angeli, tunc sedebit in tribunali gloriofo etc.

#### MEDITATIO.

Ad te igitur o potens animae meae redemptor! gloria exornatum et maiestate, totius mundi tenentem gubernacula, in omnibus vitae meae casibus confugiam, in sapientia tua atque incredibili clementia omnem collocabo spem meam. Tu enim eodem amore, quo mea tulisti peccata, prouidebis saluti, subuenies imbecillitati meae; tristem me et anxium refocillabis; morientem aeternae participem reddes felicitatis. Sic nihil mihi in vita, quamvis durum et molestum sit, valde timendum erit. Sicuti enim tu dilecte salvator, per egestatem, per ignominiam, per calumnias, per cruciatus ad summum ascendisti gloriae et maiestatis fastigium: ita et tui amantes, omnibus vitae aerumnis feliciter superatis, gloria exornabis et felicitate sempiterna. Largiaris mihi hanc modo animi fortitudinem, ut meae memor hereditatis

ditatis futurae res visibiles atque caducas non magis, quam par est, curem, vnumque id in omnibus cogitationibus, consiliis operibusque maxime spectem, vt tibi gratus, vt per te patri meo caelesti carus sim.

Thef. XXVIII. Vnum saluandorum hominum quum subiret Iesu Christus officium, triplicem sustinuit personam,

1. *doctoris* perfectissimi;
2. *mediatoris* Deum inter atque homines, vt poenis peccatorum sublatis, Deum nobis redderet propitium;
3. domini atque *regis*, qui viribus necessariis nos instructos, atque ab hostium impetu defensos, aeternae salutis participes redderet.

(†) Magna haec opera, figuris multis imaginibusque et typis in oraculis diu. adumbrata sunt, vt supra monuimus.

1. Quaedam imagines totam Christi personam et fere omnia eius opera adumbrant. Ex. c. *Propheta* vt *Moses*, qui idem et dux erat et liberator populi sui. *Pastor. Lux gentium.*
2. Quaedam partem tantummodo huius officii mediatorii in se comprehendunt. E. c. *Agnus paschalis.*

## SECTIO V.

## DE OFFICIO CHRISTI PROPHETICO.

Thef. XXIX. *Fuit igitur Messias doctor humani generis perfectissimus,*

**1.** vocatus et institutus a Deo patre.

*a. IES. LXI, 1. p. 122.*

*b. IES. XLIX, 6. p. 122.*

**2.** vncius Spiritu S. ad hoc doctoris munus subeundum, ACT. X, 38.

**3.** doctor humani generis publice declaratus. MATTH. III, 17. Ioh. XII, 28.  
MATTH. XVII, 5.

Thef. XXX. *Ad haec doctoris opera rite perficienda natura Christi utraque suum contulit, seu funditus est hoc munere secundum utramque naturam, unionem personali coniunctam.*

Thef. XXXI. *Ergo omnes eius sermones erant sermones filii Dei per hominem Iesum prolati.*

EBR. I, 2. Postremis hisce temporibus deus ad nos locutus est per filium.

MATTH. III, 18. *Hic est filius meus carissimus, qui mihi acceptus est.*

Thef. XXXII. *Hoc doctoris munus ita gessit, vt*

1. legem a corruptelis doctorum iudaicorum vindicatam melius explicaret.  
MATTH. V. VI. VII.
2. peccatoribus, de mentis emendatione grauiter admonitis, delictorum veniam offerret gratuitam.
3. vt se Dei filium atque Messiam profiteretur.
4. vt mortuorum resurrectionem, iudicium extremum, conditionem hominum bonorum aequa ac malorum futuram et dogmata reliqua, ad salutem necessaria auditoribus suis proponeret.

Thef. XXXIII. *Res praeterea hominibus ignotas futurasque manifestauit.*

Exempla vide IOH. I, 48. MATTH. XVI, 21. XVII, 22. XXIV, 14. 28. IOH. XVI, 13.

Thef. XXXIV. *Doctor omnibus numeris absolutus, discipulis pietatis erga Deum, obedientiae et omnium reliquarum virtutum exemplum praebuit perfectum.*

IOH. XIII, 15. Exemplum praebui vobis, vt quemadmodum ego vobis feci, vos quoque faciatis.

Thef. XXXV. *Miraculis denique multis magnisque demonstrauit, se diuinum esse non modo legatum, sed aeternum Dei filium: quod et morte violenta obsignauit.*

Thef. XXXVI. *Fuit ergo Christus propheta omnium praestantissimus.*

*Prophecae enim erant homines a Deo immediate vocati, spiritu diu. acti, tum ad id, ut veritatibus ad salutem necessariis homines instituerent, tum, ut res ignotas manifestarent.*

Thef. XXXVII. *Missus erat Christus propheta et doctor in primis Iudeis, quibus ita promissum fuerat.*

ROM. IX, 4. *Israelitarum est adoptionis prerogativa atque gloria, eorum sunt foedera, leges a deo latae, et cultus ab eo institutus promissionesque.*

MATTH. XV, 24. *Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israeliticae.*

Thef. XXXVIII. *Constituit Christus Apostolos aliosque doctores, per quos genus humanum doctrina salutari institui curauit atque ad finem usque saeculorum curabit.*

MATTH. XXVIII, 19. Proficiscentes etc.

ACTOR. XX, 28. Cauete vobis et curam gerite totius ouilis, cui vos spiritus s. praeposuit custodes, ut Dei pascatis ecclesiam.

EPH. IV, II. Is (Christus) apostolos, vates, euangelistas, pastores, doctoresque constituit.

(†) Saluatorem nostrum omnium maximum, qui vñquam extiterint, fuisse doctorem ex ipsis humani generis annalibus satis superque constat. Quamuis enim multi ante ipsum fuerint viri eruditione, sapientia eximiaque rerum gerendarum peritia praediti, qui gentes a superstitione liberare, veritatis notitia aliqua imbure et ad virtutis cultum formare conarentur; multis tamen conaminibus parum effecerunt. Omnes orbis terrarum vniuersi gentes et nationes, si a Iudeis recesseris, ante Christum natum superstitioni, idolorum cultui, vitiisque nefandis erant dediti; atque ipsa Israelitarum gens multis erroribus in rebus diu. et vanis opinionibus irretita. Christus ope legatorum suorum vnius et veri dei cultu inter gentes stabilito, Iudeorum gentiliumque superstitiones maximam partem deleuit, atque homines infinitos ad omne virtutis genus formauit. Gratias agimus tibi o lumen gentium! quod et nostras splendore doctrinae tuae caelestis collustrasti mentes; quod euangeli solaminibus animos nostros suauiter afficis; quod ad omne virtutis stu-

studium nos reddis idoneos. Te diuinum doctorem nostrum pia semper mente colemus et venerabimur. Adfis modo spiritu tuo animis nostris, vt ad obsequium, praeceptis tuis praestandum, apti sint atque alacres.

## SECTIO VI.

## DE OFFICIO CHRISTI SACERDOTALI.

*Christus mediator Deum inter atque homines, peccatorum poenas vicario nomine, loco hominum, subiit, vitaeque aeternae spem nobis comparauit.*

Thef. XXXIX. *Christus propter peccata hominum passus est, illorumque loco mortem subiit. Nam*

1. IESAIAS LIII, 4. 5. 6. 8. 9. 10. 11. vaticinatus est, Messiam propter peccata hominum iri percutsum, eorum peccata in se suscepturn, animam suam in sacrificium oblaturum pro peccatoribus etc. Quod praeterea confirmatur his dictis:
2. IOH. I, 29. Ecce agnus Dei, qui tollit mundi peccatum!

Horum enim atque sequentium locorum sensus est hic: Christum eodem modo propter hominum peccata necatum esse, sicuti Israelitae ad peccatorum poenas auerruncan-

das, agnos, boues, seu alia pecudum genera  
deo offerre solebant.

4. ROM. V, 8. Deus suum erga nos amorem in eo potissimum demonstrauit, quod cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.
5. 2.COR.V, 14. Si vnuſ pro omnibus mortuus est, omnes censemur esse mortui. Hoc est, postquam Christus Icco omnium hominum mortuus est, deus propter hanc eius mortem hominibus mortis poenam remisit.
6. 2.COR.V, 21. Deus peccati ignarum pro nobis fontem declarauit atque constituit, vt propter eum nos iusti possimus reputari.
7. ROM.III, 24.25. Iustificati sumus gratis, dei beneficio, ex mera dei benevolentia, nullo nostro existente merito, per redemtionem, quae per Christum Iesum facta est, quem deus constituit instar propitiatorii, (ad quod nobis appropinquandum est) per fidem in eius sanguinem collocandam, (qui sanguis effusus est) ad demonstrationem iustitiae dei, qui praeteritorum temporum peccata, pro ea, qua est lenitate, tulit et praetermisit, quia consilium ceperat puniendi hoc tempore hominum peccata in Christo, ad demonstrandam iustitiam diuinam.
8. 1.IOH.II, 2. Si quis peccet, cauffae patrōnum (aduocatum) habemus apud patrem, Iesum Christum iustum atque benignum, qui nos

nos non solum, sed omnes homines deo reconciliauit.

9. GAL. III, 13. Christus nos a legis exsecratione afferuit, factus pro nobis exsecratio; (seu cum condemnationem legis transgressoribus sustinendam in se suscipere).

10. 1.TIM. II, 5.6. Vnus deus est atque vnuus mediator deum inter et homines, homo Christus Iefus, qui se ipsum redemtionis pretium pro cunctis dedit hominibus.

11. EBR. VII, 27. Christo necesse non est, sicuti pontificibus (humanis) prius pro suis peccatis victimas offerre, deinde pro populi. Hoc enim semel fecit, dum se ipsum in sacrificium obtulit. Alioquin fuisset ei supplicium ab orbe condito saepe patiendum; nunc semel sub saeculorum exitu apparuit ad abolendum peccatum per sacrificium a se Deo oblatum. EBR. IX, 26. 27.

\*) Hoc est, nisi sacrificium a Christo Filio Dei oblatum *tantam habuisset vim*, vt eodem omnium hominum sublatae essent poenae, fuisset ei hoc supplicium saepius patiendum.

(†) Haec loca accuratius consideranti dubium esse potest nullum, quin perpetua sit et constans scripturae sacrae doctrina, hominum generi peccatorum poenas eam ob causam a Deo remitti, quod Christus cruciatibus suis morte violenta perpetuis has poenas tulerit, fecerit-

que,

que, vt santes possint absolui. Atque hanc tantam dei nobis reconciliandi vim non vitae Christi, non exemplo, non *doctrinae*, sed *morti* tribuunt oracula diuina, *unique morti domini nostri Iesu Christi*, non *Pauli*, non *Petri*, non *alius cuiusdam legati diuini*, licet multi doctorum euangelii primis reipublicae christianaem temporibus, ad confirmandam veritatem et ad ecclesiae salutem cruciatus subierint multos, generaque mortis valde acerba. Ex quo patet Christum passum esse et mortuum *loco hominum reliquorum*, ratione longe alia, atque doctores reliqui omnes, nempe ad deum generi humano reconciliandum.

Thef. XL. *Hos mortis violentae cruciatus Christus subiit pro totius generis humani peccatis.*

1. Nam etiam eorum poenas subiit, qui damnantur.

2. PETR. II, 1. Fuerunt quondam falsi prophetae in populo, vt etiam inter vos erunt falsi doctores, qui sectas subintroducent perniciose, atque *redemptorem ac dominum suum* abnegantes celerem sibi conciliabunt perniciem.

EBR. X, 29. Quo grauiori putatis adficiendum poena, qui Dei filium pedibus proculauerit, testamentique sanguinem, *per quem*

*quem redemptus et sanctificatus est, pro profano habuerit.*

**I.COR. VIII, II.**

2. Propter eius iustitiam *omnes* iusti habentur, qui propter Adami peccatum iniusti erant reputati. ROM.V, 18. p. 101.
3. Est Christus propitiatio *pro totius mundi peccatis*. I.JOH.II, 2. p. 154.
4. Vnus pro *omnibus* mortuus est. 2.COR. V, 14. 15. p. 154.
5. Deus *omnium* peccata coniecit in Christum. IES.LIII, 6. p. 111.
6. Pro *omnibus* se tradidit. I.TIM.II, 6. p. 156.
7. Totum mundum, i. e. totum genus humanum deus ita dilexit, vt illi daret filium suum vnigenitum. ION.III, 16. pag. 17.

(†) Vt Christus eorum etiam poenas susciperet, qui ob peccata et incredulitatem suam condemnantur, multae fuerunt rationes. Sicuti per vnum hominem peccatum ad omnes transferat; ita per vnum redemptorem omnes erant a peccati poenis liberandi. Praeterea hoc sacrificio, pro omnibus oblato, deus ostendit, *se omnium velle salutem* omniaque fecisse, vt a pernicie vindicarentur; homines ipsos sui inter-

interitus esse auctores. Hoc denique exemplo constat deum in omnibus agendi rationibus *iustum esse atque benignum*.

Thef. XLI. *Christus idoneus fuit ad subeundas omnium hominum poenas.*

1. Nam poenis ipse obnoxius non fuit.

2. Poenae, ab eo suscepitae, eandem habebant vim, ac si omnes homines poenas promeritas subiissent. Quia enim *dei erat filius, ex ipsis cruciatis morteque violenta deum iustum esse colligi atque cerni potest, tam certe, ac si omnes homines poenis promeritis essent affecti.*

2.COR. V, 14. 21. ROM. III, 21. etc.

(†) Thef. XLII. *Redemptor insensibiles fontium poenas cum patiendo moriendoque subiret, iustitiae diu. hoc contrarium non fuit.*

1. Quia sapientiae atque benignitati diu consentaneum est, permittere, ut homo innocens pro aliis, licet fontibus, ad eos seruandos, cruciatus subeat, quin vitam profundat.

3.IOH. III, 16. Inde amorem (dei et Iesu Christi erga nos) cognoscimus, quod ille pro

pro nobis animam et vitam suam tradidit, ideoque et nostrum est, simili ratione pro fratribus vitam fundere (si necessitas exigit.)

2. Quia Christus fuit vitae suae arbiter et dominus. IOH. X, 18. p. 145.
3. Quia haec erat via, qua homo Iesus ad summam ascendere debebat gloriam. LVC. XXIV, 26. Nonne Christus debuit tali modo pati atque in gloriam suam ingredi?

Thef. XLIII. *Christus per omnes vitae dies pro nobis multa dura passus est.*

1. Legis Mosaicae iugo se submisit. GAL. IV, 4. p. 130.
2. Exul in Aegyptum delatus est.
3. A Phariseis aliisque populi iudaici proceribus ignominia affectus saepiusque in periculo mortis constitutus est.
4. Sortis humilis paupertatisque miseriam et contemptum, ceterosque vitae operosae labores et aerumnas tulit.

Thef. XLIV. *Est ergo obedientia Christi passiva perpessio voluntaria omnium cruciatum, quos loco hominum subiit.*

PHIL. II, 5. p. 137.

Thef.

Thef. XLV. Obedientia Christi actiua comprehendit actiones eas, quas suscepit pro nobis, et loco nostrum, cum viuuus in terris esset.

ROM. V, 18. p. 101.

PS. XL, 8. 9. Dixi, (ego Messias ad patrem) en adsum! in libri (Mosaici) volumine scriptum est de me. Tuae voluntatis facienda desiderio feror, tuam legem in mente mea habeo quasi repositam.

Thef. XLVI. *Vtraque bac et passiua et actiua obedientia, deo patri praestita, immunitatem a poenis, iustitiam et vitam aeternam hominibus commeruit.*

1. ROM. V, 18. p. 101.

2. PS. XL, 9. vid. supra.

3. PHIL. III, 9. Non meam habeo iustitiam, nec salutis meae spem pono in ea, quae oriatur ex legis obseruatione, sed iustitia praeditus sum, quae fide in Christum obtinetur atque a deo propter fidem confertur (credenti).

Thef. XLVII. *Hac mediatoris obedientia tum passiua, tum actiua opus erat.*

1. ad demonstrandam iustitiam diuinam.

ROM. III, 21.

2. ad

2. ad declarandum dei erga omnes homines amorem. IOH. III, 16.
3. vt peccatorum conscientia e hominum animis plane deleri possit. Nam satisfactione iam praestita, certo sperare possumus, omnia peccata nobis condonatum iri.

Thef. XLVIII. *Vt deum nobis reconciliaret, Christus non modo multa tulit egitque, sed et saepius pro nobis orauit.*

1. IES. LIII, 12. Pro peccatoribus precatus est.
2. IOH. XVII, 20. Non solum pro discipulis meis oro, sed et pro iis, qui per eorum sermonem in me credent.
3. EBR. V, 7. Is Christus, quum vitam in his terris degeret, preces et supplicationes cum clamore vehementi et lacrimis obtulit ei, qui se liberare posset ex morte, et pro sua in deum reuerentia pietateque exauditus est.

Thef. XLIX. *Intercedit adbuc pro nobis sedens ad dextram dei, modo gloriae suae accommodato.*

1. ROM. VIII, 32. 33. p. 146.
2. EBR. VII, 25. Seruare potest (Christus exaltatus) eos, qui per ipsum adeunt deum;

quippe qui semper viuat, proque iisdem  
supplicet.

*Obs.* Praeterea more sacerdotum Christus hominibus bene precatus est et adhuc bene precatur. EBR. VII, 6.

### MEDITATIO.

Qualesnam o Iesu Christe! referam tibi gratias, dignas amore tuo incredibili, quo me, quo omnes homines amplexus es; quo te ipsum deuouens pro nobis, cruciatus subiisti acerbissimos. Te colam per omnes vitae meae dies, te omni studio, pietate, obsequio, gratoque semper venerabor animo. Absit a me, ut sciens unquam atque volens peccatum committam, cum filius dei in humana sua natura tantas peccati poenas eum in fine pertulerit, ut me sibi redimeret. Suscipe me o diuine redemptor! seruum tuum sanguine tuo in libertatem vindicatum; tibi viuam, tibi moriar. Spero enim fore, ut, te pro me apud patrem intercedente, fides mea non deficiat.

### SECTIO VII.

#### DE OFFICIO REGIO.

Thef. L. *Filius Dei rerum creatarum universitati ab initiis mundi una cum patre et Spiritu S. praefuit, cunctaque sapienter gubernauit.*

vid. Cap. de Prouidentia;

Thef.

Thef. LI. *In buius imperii communionem filius Dei humanam naturam, secum uniam, statim a prima iuuentute potuisset recipere. Hoc autem diuersas ob rationes facere noluit, sed exinanitus, humili usus vitae genere, verbi diu. atque miraculorum a se discipulisque editorum vi et efficacia coetum sibi collegit pectorum hominum, morte denique expiatoria fundamenta iecit ecclesiae, cui tanquam caput et rex praefuturus erat.*

EPH. V, 23. 25. 26. *Sicuti maritus caput est vxoris, ita Christus caput et dominus ecclesiae, siquidem qui est saluator corporis sui. Christus enim amauit ecclesiam sequae pro ea (in mortem) tradidit, quo eam redimeret atque sanctam redderet locione aquae cum verbo coniunctae.*

Thef. LII. *Fuit ergo Christus in statu exinanitionis rex; sed rex exinanitus, hostium insultationibus expositus.*

IOH. XVIII, 37. *Est, vt tu (Pilate) inquis; sum ego rex, in hunc enim finem natus sum hisque in terris apparui, vt de veritate testimonium feram (et veritatis regnum quoddam in orbe vniuerso constituant.)*

ZACH. IX, 9. p. 126.

164. DOCTR. CHRIST. CAP. VI. SECT. VII.

Thef. LIII. *Ad dextram Dei cum exaltaretur Saluator diu. humana eius natura in huius imperii communionem perpetuam ita admissa est, ut filius Dei per illam, totam hanc rerum vniuersitatem regere atque gubernare inciperet.*

Prob. MATTH. XXVIII, 28. p. 31.

I. COR. XV, 27. p. 67. PHIL. II, 9.  
pag. 32.

EPH. I, 21. pag. 72.

Obs. Hoc Iesu Christi in omnes res creatas vniuersale imperium appellant doctores *regnum potentiae seu naturae.*

Thef. LIV. *Singulari autem cura prouidet Christus regno gratiae, hoc est coetum hominum, qui nomen eius professi, cum illo per fidem coniuncti sunt.*

1. EPH. V, 25. p. 163.

2. IOH. X, 27. Oues meae vocem meam audiunt easque ego *noui* h. e. diligo atque curo; et ipsae me sequuntur; ego vero eis vitam do sempiternam, nec possunt vñquam perire, nec mihi quisquam eas de manu mea eripere poterit.

Hunc coetum

1. per episcopos et verbi diu. ministros sapienter gubernat.

EPH.

**EPH. IV, 11. 12.** Constituit Christus pastores (animarum curatores) atque doctores, ut ciues reipublicae christianaee ceu membra vnius corporis bene sint constituta et apta ad officium peragendum, quo totum christi corpus (coetus omnium fidelium) augeatur atque perfectior reddatur.

2. Verbi diuini praedicatione, sacramentis et gubernatione rerum sapientissima subditorum suorum saluti prospicit.

**EPH. V, 29.** Nemo unquam corpus suum odio habet, sed id alit et fouet; sic et Christus fouet ecclesiam.

3. Viribus ad virtutis studium necessariis, donis nempe Spiritus S. eosdem exornat.

**IOH. XV, 5.** Ego sum vitis, vos estis palmites; sicuti palmes fructum ferre per se ipsum non potest, sic neque vos, nisi maneatis in me. **EPH. I, 4.**

4. Ab hostium impetu defensos, fartos tectos que seruat. **IOH. X, 27.**

5. Traditurus hoc regnum patri die nouissimo. **I.COR. XV, 24.**

**Thef. LV.** *Maiestate et gloria exornatus, sedens ad dextram Dei praeest denique omnibus caeli incolis, quorum coetum regnum appellant gloriae.*

**I.PETR. III, 22.** p. 72. **EPH. I, 21.** p. 72.

## MEDITATIO.

Felices ciues, qui tuo subsunt imperio tuisque obtemperant legibus sapientissimis, o rex caeli terraeque omnipotens! Ea est enim mandatorum tuorum natura, vt via ad salutem breuior atque securior monstrari nequeat. Tanta sunt autem atque tam multa, quorum participes reddis subditos tuos beneficia, vt nemo sit ea dicendi vi praeditus, qui eadem possit, non dicam pro dignitate laudare, sed enumerare modo et recensere. Tu ciues tuos maximarum rerum notitia imbuis, mentis tranquillitate viribusque donas ad bonum sequendum; atque spiritus s. vi efficis, vt solatio, vt vitae aeternae spe, atque iucundissima animi laetitia affluant. Te eos protegente, nec hostium infidias, nec fortunae casus metuunt. Cum enim omnia rerum creatarum genera imperio tuo subiecta sint, cuncta soles ad tuorum salutem sapienter dirigere. Fiducia itaque mea in te vno posita, quicquid vtile et necesse futurum mihi est, a tua petam atque sperabo benignitate. Velis modo regere animum meum, vt tibi lubenter morem gerat; quo tandem aliquando in regno tuo caelesti mihi contingat videre te in folio patris tui glorioso atque cum omnibns caelitibus colere te et adorare in aeternum. Ita fiat.

## CAP. VII.

### DE PRAEDESTINATIONE.

*Thes. I.* *Est decretum diuinum propositum eius, quo constituit, siue facere aliquid, siue, ut fiat, permittere.*

*Obs.* A decretis volitiones probe discernendae sunt. Volitio est inclinatio Dei ad bonum. Quamuis autem Dei voluntas inclinetur ad bonum quodvis; non tamen nisi *optima decernit.*

*Thes. II.* *Decretum Dei de saluandis quibusdam hominibus dicitur decretum praedestinationis.*

*ROM. VIII, 28. 29. 30.* Scimus enim Dei amantibus omnia in utilitatem (et ad promouendam salutem) cedere; iis nempe, qui ad salutem destinati et vocati gratiaeque diuinae participes facti sunt \*). Quos enim (fidem habituros euangelio Christi) praenouit, (ideoque amauit) eos etiam destinauit, ut imaginis filii sui similes fierent; quos praedestinauit et vocauit, eos etiam declarauit fecitque iustos atque glo-

L 4

riosos

\**)* *κλητοι* sunt hoc in loco non solum, qui ad salutem a Christo hominibus partam inuitati, sed qui eiusdem compotes facti sunt.

riosos reddidit, (gloriae sempiternae haeredes constituit; quin imo iam his in terris aliquo modo huius gloriae fecit participes).

**EPH. I, 4. 5. 6.** Quemadmodum nos in Christo elegit ante orbem conditum, ut essemus sancti et inculpati praeditique amore erga illum et alios homines. Destinauit enim nos, ut propter Iesum Christum per adoptionem filii Dei redderemur, in ipsius gloriam. Atque haec omnia fecit pro libera sua voluntate ex mera benignitate ad laudem celebrandae suae beneficentiae.

**Obj.** Saluandi nominantur et *electi*. **MATTH. XXII, 14.** Vociis *electio* sensus autem alter est latior, angustior alter. *Electorum* ideo duplex genus est:

**a.** Primum ad *gratiam*, quorum *quidam* gratia excidentes tandem in aeternum condemnantur,

**2. TIM. I, 9.** Qui (deus) nos seruauit atque clementer vocauit ad vitae sanctimoniam; non ob merita nostra, sed pro decreto suo et favore, quo erga nos fuit ante conditum mundum propter Iesum Christum affectus.

**I. PETR. II, 9.** Vos genus electum estis, regale sacerdotium, sancta gens, populus dei redemptus et acquisitus, ut virtutes laudesque praedicetis eius, qui vos extene.

tenebris (ex peccatis, ignorantia rerum diu, et misera animi conditione) in suam vocavit lucem mirabilem (ad euangelii notitiam veramque salutem.)

b. Deinde electorum ad vitam aeternam.

MATTH. XX, 16. Multi vocati sunt, pauci electi.

(†) Thes. III. *Decretum Praedestinationis* varias comprehendit volitiones variaque decreta singularia, quorum ordo, si scripturam s. sequimur, (quae anthropopathia vtitur in hisce veritatibus tradendis) constitutus est bac ratione:

1. Decreuit Deus creare homines, qui beati essent futuri eiusque illustraturi gloriam.
2. Quam ob rem decreuit condere primos homines ab omni peccato alienos.
3. Decreuit tamen permittere peccatum, ne maius oriatur in rerum vniuersitate incommodum.
4. Voluit et vult, vt *omnes* peccatores vitam consequantur aeternam.

Nam vult deus bonum quodvis voluntate antecedente, seu bona eius natura inclinatur ad omne bonum.

L 5

s. Quam

5. Quam ob causam decreuit Deus reconciliare sibi *omnes* per Christum.
6. *Omnibus* constituit eadem salutis remedia, quibus fides in Christum signatur.
7. Decreuit denique *omnes* salutis aeternae reddere participes, *qui in Christum credentes*, mente emendati, diem supremum obituri sint.

(†) *Alium constituunt decretorum diu. ordinem doctores quidam ecclesiae reformatae.*

Thef. IV. *Vult itaque Deus voluntate seria omnes homines saluos fieri.*

1. I. TIM. II, 4. p. 155. IOH. III, 16. p. 17.

ROM. XI, 32. Permisit enim deus, ut omnes homines peccatores fierent, quo *omnium* misereatur.

2. Quia fertur Dei voluntas antecedens in omne bonum.

*Obs.* Haec voluntas est *efficax*, licet metam non semper consequatur, quia homines multi animo pertinaci deo resistunt.

Thef. V. *Deus per filium suum omnes reconciliauit sibi homines.*

Vide Cap. de Christo. p. 117.

I. IOH. II, 2. IES. LIII. 2. PETR. II, 1. p. 156.  
EBR. X, 9. 29. p. 156.

(†) Thes. VI. *Eadem Deus constituit omnibus salutis remedia, nec in aliis operatur vi et gratia irresistibili, resistibili in reliquis.*

1. ROM. I, 16. Non enim pudet me euangelii Christi, quippe per quod se exferat diuina vis ad salutem omni ei fidenti.

2. Quia ab omni partium studio Deus remotus est. I. TIM. II, 5. p. 128.

ROM. II, II. Nullum est enim apud deum personarum discrimen.

*Obs.* Si verbi diu. et sacramentorum vis non eosdem in omnibus gignit motus bonos, ratio latet in natura hominum diuersa, non in remediis atque auxiliis gratiae.

Thes. VII. *Fecit Deus omnia, quae per sapientiam suam fieri possunt, ut omnes saluentur homines; qui igitur vitae aeternae non redunduntur participes, suamet isti per-eunt culpa.*

*Obs.* Atqui, hic est sensus locorum scripturae s. quibus dicitur, deum velle omnium hominum aeternam salutem. Idem nempe est, ac si esset scriptum: *Deum velle per naturam suam omne bonum atque fecisse cuncta, quae per sapientiam atque bonitatem*

*tem suam potuerit facere, ut omnes in universum homines salui fierent.*

Thef. VIII. *Quum autem Deus ab aeterno cognosceret, quinam hominum salutis ordinem ingressuri non sint, per iustitiam suam commotus, eosdem condemnare decrevit.* Atque hoc decretum appellatur probationis.

IOH. III, 18. *Qui in eum (dei filium) credit non damnabitur; qui vero non credit, iam damnatus est.* v. 36. *Qui filio fidem habet, vitam consecuturus est sempiternam; qui vero filio non paret, is vitam aeternam non consequetur, sed poenas sustinebit aeternas.*

MARC. XVI, 16. *Qui crediderit et baptizatus fuerit, saluabitur, qui non crediderit, condemnabitur.*

EBR. IV, 11. *Quam ob rem demus operam, ut illam requiem, ingrediamur; ne quis simili ratione (atque Israelitae in deserto) per incredulitatem suam cadat (in sempiternam perniciem.)*

Thef. IX. *Vtrumque decretum est aeternum.*

i. Cum enim Dei natura sit immutabilis, nouum in tempore consilium capere,

pere, siue voluntatis suae decreta mutare non solet.

2. EPH. I, 4. Elegit deus nos in Christo ante orbem. conditum.

2. TIM. I, 9.

Thef. X. *Decreuit Deus saluare ele. eos non propter opera bona, quae edituri essent, sed quia praeuidit, illos in Christum esse credituros usque ad vitæ finem.*

MARC. XVI, 16. pag. 172. IOH. III, 16.  
pag. 17. EPH. I, 4.

TIT. III, 5. Non ob opéra legi diu. conuentia, quae fecerimus, sed pro sua misericordia Deus feruauit nos Iauacro regenerationis atque renouationis, qua mentes nostras emendauit ope Spiritus S. quo nos large exornauit per Iesum Christum feruatorem nostrum.

*Obs.* Hoc alii ita enuntiant: Electio facta est in Christo.

Thef. XI. *Praedestinationis decretum certum est et immutabile.*

Quia Deus est immutabilis.

IOH. X, 28. p. 164.

Thef. XII. *Cognosci potest a singulis hominibus, utrum ad vitam aeternam praedestinati sint, an minns:*

I. non

1. non quidem tam certe, atque res praeteritae et praesentes;
  2. tamen ea ratione, qua futurae res, certissime euenturae, cognosci possunt.
2. PETR. I, 10. Quam ob rem eo magis operam date, fratres, ut vocationem vestram et electionem firmam reddatis. (i.e. virtutis studio vos magis magisque in bono confirmare conemini, spemque aeternae salutis, quam animo conceperitis, stabilire.)
2. COR. I, 22. Deus nos sigillo quasi consignavit et spiritus s. dona, ceu pignus quodam animis nostris indidit.

Thes. XIII. *Elekti fide ad tempus possunt deficere.*

*Exempl.* Dauides, Petrus.

Thes. XIV. *Reprobi ad tempus vera praedicti esse possunt in Christum fide, ideoque et vere iustificari.*

EBR. VI, 4 - 6. Fieri enim fere non potest, ut, qui semel salutari cognitione sunt instructi atque regeniti, qui beneficium diuinum vsu ipso experti, atque *spiritus s.* participes *facti*, verbi diu. uirtutem aequaque futuri gaudia praegustarunt, si nihilosecius recidant ad incredulitatem filiumque dei denuo quasi crucifigant eumque con-

contumeliis proscindentes ignominiae publicae quasi exponant, fieri inquam non potest, vt eiusmodi homines ad meliorem mentem redeant. (quia animum induxerunt emendari nesciam.)

**EZECH.** XVIII, 26. Quum iustus, omissa iustitia sua, denuo peccata committat, propter peccata, a se commissa, condamnabitur.


**ROM.** XI. 20. Tu vide, stas, ne superbo sis animo, sed time. Si enim deus ramis naturalibus (Iudeis) non pepercit, tibine parciturum credis? (qui a gente abrahamicita originem haud ducis.)

(†) **Thes. XV.** *Decretum reprobationis non est absolutum; hoc est: non decernit deus tradere homines quosdam aeternae perniciei, banc solum ob rationem, quia sic ei placet, sed eam potissimum ob caussam, quia intellegit, istos pertinaci animo benignae suae voluntati resistere.*


1. Nam Deus pro sapientia sua semper respicit ad rerum naturam.
2. Alias peccati auctor foret Deus, quod dicere et cogitare absconum est.
3. **2.PETR.** III, 9. Non vult deus hominem perire ullum, sed vt omnes ad meliorem redeant mentem.

## MEDITATIO.

Tanta est erga genus humanum amoris tui vis et abundantia, o deus ter optime maxime! vt non solum ab aeterno de salute omnium cogitares, sed et quicquid pro sapientia atque bonitate fieri posset, ad eorum salutem procurandam feceris. Si qui sunt, qui pereant, sua profecto culpa, non tua, ruunt in aeternum exitium. Fac o benigne Deus! vt salutis nostrae curam agamus omni studio et tremore. Ut bonis operibus e fide in Christum natis, omnique virtutis studio comprobemus, nos esse in electorum numero; quo vitae aeternae spe in animis nostris bene confirmata, certi simus, nihil vñquam fore, quod a redentore nostro dilectissimo, Iesu Christo, auellere possit nos et in aeternum seiungere.



CAP.



## CAP. VIII.

### DE EMENDATIONE HOMINIS PER OPERATIONES SPIRITVS S. SEV GRATIAE DIVINAE.

---

#### SECTIO I.

##### DE VIRIVM NATVRALIVM INSVF- FICIENTIA AD EMENDANDVM ANIMVM, SIVE DE LIBERO ARBITRIO.

Thef. I. *Lapsu totam hominis naturam esse corruptam probauimus in articulo de peccato. Hoc autem non ita est intelligendum, ac si doceamus, nihil plane boni illi inesse.*

Thef. II. *Est enim praeditus homo naturalis intellectu et libera voluntate, multisque exornatus viribus, quibus, quae ad huius vitae felicitatem faciant, excoigitare potest atque perficere, ita ut multis egregiis actionibus edendis, virtutibusque naturalibus exercendis aptus sit.*

Hoc patet  
1. Experientia.

2. ROM. II, 15. Homines gentiles (moribus suis) ostendunt legem suis animis esse inscriptam; cuius rei et ipsi sibi conscientii testesque contra se ipsos sunt, siquidem animorum suorum cogitationibus solent accusare se vel etiam excusare.

*Obs.* Gentilium virtutes, quatenus naturae legi sunt consentaneae, verae quidem sunt virtutes, sed *naturales* valdeque *imperfectae*.

Thef. III. *Deinde homini per naturam non modo vis inest deum cognoscendi, sed et intelligendi plurima officia, quibus et deo et aliis obstrictus est:*

1. ROM. I, 20. pag. 2. ACT. XVII, 27.  
pag. 10.

2. Patet ex historia atque experientia vniuersali.

Thef. IV. *Sed naturalis haec, rerum diuinarum et officiorum notitia, ad quam homo virium naturalium usu pertingere potest, valde est imperfecta.*

1. Quod iterum probatur experientia.  
2. ROM. VII, 7. Concupiscentiam prauam peccatum esse, non nossem, nisi promulgata fuisset ista lex: *ne concupiscas.*

EPH. IV, 18. pag. 115.

Thef.

Thef. V. *Deinde hominis naturalis vires non sufficiunt ad officia, quibus se teneri sentit, rite exsequenda.*

1. ROM. III, 9. Comprobauimus et iudeos et graecos (gentes praeter *iudeos* reliquas) omnes peccato esse subiectos.

IOH. III, 5. p. 104.

ROM. VIII, 3. Quod enim ab homine, legi subiecto fieri non poterat, quoniam pro natura sua peccato corrupta, infirmior factus erat, quam ut legi perfectum praestare posset obsequium; id deus ipse perfecit mittens filium suum etc.

2. Quod et experientia confirmat.

Thef. VI. *Cupiditatum potius vi saepius abripi solet ad perpetranda ea, quae, vetita et mala esse, probe siue intelligit, siue intelligere facile possit, si cuperet.*

1. Experientia teste.

2. ROM. II, 14. p. 108. coll. ROM I, 20. pag. 2. etc.

3. ROM. VII, 15. Non enim quod volo, id ago; sed quod auersor, id saepius facere soleo.

Thef. VII. *Ergo libertas hominis etiam in rebus naturalibus valde est circumscripta, quia saepe facit, quae rem probe*

M 2 per-

*perpendens, facere non vult, quorumque ipsum post factum poenitet.*

Thef. VIII. *Nec viribus gaudet sufficientibus, ex hac miseria atque servitute eluctandi.*

1. ROM. VII, 24. ROM. VIII, 3. p. 179.

2. Teste experientia.

Thef. IX. *Quod ad religionem reuelatam et res supernaturales attinet, vi praeditus est homo naturalis audiendi atque legendi verbum diuinum remediisque gratiae reliquis utendi.*

1. Hanc enim nisi haberet vim, qua ratione illi imputari posset, si non conuerteretur, intelligere haud possumus.

2. Patet idem ex mandato se conuertendi ad deum, quod in litteris s. saepe repetitur.

HOS. XII, 7. Reuertere ad deum tuum; pietatem et iustitiam sequere.

IES. LV, 7. Emendet impius mores suos et improbus, malas suas cogitationes relinquens, ad Iehouam se connertat, qui eius misereatur.

*Obs.* Appellant theologi has hominis naturalis actiones, quibus remediis gratiae uti solet, *auctus paedagogicos*.

*Thes. X.* *Conuertere autem se ipsum,*  
*seu ita emendare se non potest,* *vt vita*  
*aeternae particeps fieri possit.*

*Prob. I.* *JOH. III, 5. 6.* p. 104.

2. *PHIL. I, 6.* Confido, fore, vt qui in vobis inchoauit mentis emendationem, idem opus absoluat vsque ad diem Iesu Christi.
3. *PHIL. II, 13.* Deus enim is est, qui pro benevolentia sua in vobis efficit, vt et velitis bonum idemque et efficiatis.

4. *PSAL. Ll, 12.* p. 42.

*EPH. II, 10.* Dei enim sumus opus conditi atque denuo formati per Christum ad virtutis studium.

*Obs.* Hoc est, quod dicunt theologi, *hominem naturalem* in rebus spiritualibus carece *libero arbitrio*, *ἐλευθέρα πρωτίστης*.

#### MEDITATIO.

Ad verum in rebus diu. videndum me saepius valde ineptum, ad dubia pronum, ad peragenda officia, quibus deo aliquis obstrictus sum, segnem atque facilem ad cupiditates prauas sequendas, hoc quidem adeo sentio atque tam saepe expertus sum, vt negare non

possim. Ad te itaque confugiam animarum medicum et salutis nostrae restauratorem Iesum Christum! qui non solum fecisti, ut haec naturae meae corruptio, mihi non in perniciem vergat, sed et remedia praebuisti ad sanandum morbum meum efficacissima, veritatis nimirum euangelicae cognitionem, preces, virtutis studium, animarum spirituale pabulum corporis et sanguinis tui. Hac medicina vtar, hac esca fruar saepius; sic sanus reddar auxilio tuo, robustus et fortis animo, libertate praeditus vera et vi vincendi prauas cupiditates. Sana me Deus, vt vere saner: nam tu es salutis meae fons atque principium.

## SECTIO II.

DE GRATIA IN VNIVERSVM; SEV  
INTRODVCTIO VNIVERSALIS IN DO-  
CTRINAM DE OPERATIONIBVS SPIRI-  
TVS S. QVA HOMINVM MENTES  
EMENDANTVR,

Thef. XI. *Sicuti patri atque filio opus creationis, patri filii missio, filio opus redemtionis, peculiari quadam ratione tribuitur; ita et Spiritui S. opus emendandi atque sanctificandi homines adscribitur.*

ROM. VIII, 14. Quicunque aguntur dei spiritu, dei filii sunt.

I.COR. XII, 3. Nemo est, qui Iesum possit dicere dominum (h. e. qui in Christum credere, eum pro domino suo habere et rite colere possit) nisi ope spiritus s.

I.PETR. I, 2. Iis, qui secundum dei patris prouidentiam et amorem electi, *spirituque s. iustificati* sunt, vt sanguine Christi purificati, ei obedient, bona quaecunque ad precor.

Thef. XII. *Emendauit Deus quondam atque ad bucdum emendat, quatenus fieri potest, multorum hominum animos, vi veritatum, siue rerum natura, siue per traditionem hominum generi cognitarum. Sed has actiones scriptura s. ordinariis Dei operationibus accenset, atque distinguit ab iis, quas praeter naturae ordinem Deus in hominum animis producit.*

Prob. 1. PSAL. CXLVII, 19. 20. Deus verbum suum reuelauit Iacobi posteris suaque statuta et leges dedit Israelitis. *Hoc nulli fecit ceterarum gentium.*

2. ACT. XIV, 16. Deus saeculis superioribus permisit, vt gentes omnes more suo viuerent.

3. ROM. III, 1. 2. Quaenam est ergo Iudeorum praestantia? aut quae circumcisionis utilitas? magna profecto. Primum quidem Israelitis credita sunt oracula diuina.

Est vero Dei quaedam operandi ratio in emendandis hominum animis, ab ea diuersa, qua in *concursu uniuersali et gubernatione hominum naturali* vtitur, atque Spiritui S. in primis tribuitur; ipsique motus animi, per hanc Dei operationem producti, nec non vires nouae supernaturali quadam ratione hominibus collatae, non nunquam Spiritus S. nomine insigniuntur.

ACT. X, 45. Iudei, qui tunc aderant, valde sunt attoniti, quum viderent, quod etiam gentes exteræ spiritus f. donis largiter essent exornati.

ACT. XIX, 2. etc.

Thef. XIII. *Sunt igitur operationes gratiae, actiones Spiritus S. quibus, modo quodam peculiari, in hominum mentibus motus quosdam excitat salutares iisdemque vires nouas impertit.*

Thef. XIV. *Qui Spiritus S. vi mentibus emendantur, variis praediti sunt animi affectionibus; quam ob rem multis variisque insigniuntur in scriptura f. nomini bus, quorum potiora sunt sequentia:*

1. Nominantur *κλῆτοι*, vocati, quia receperunt vocationem diu. qua ad induendam meliorem conditionem excitati sunt.

1.COR. I, 24. Ipsis *vocatis* cum ex Iudeis tum ex gentibus reliquis, euangelium de Christo praedicamus dei *potentiam*, dei que sapientiam. (h. e. In gentibus pariter atque Iudeis deus ope euangelii eiusmodi efficit mentis mutationem, vt inde adpareat euangelium esse diuina virtute praeditum.)

2. Πισένουντες et πιστοί, credentes.

ACT. IV, 32. XXI, 25.

2.COR. VI, 15. Quodnam *Deo fidenti*, cum infideli commercium?

1.THES. I, 1.

3. Δικαιοί iusti et iustificati.

ROM. I, 17.

1.COR. VI, 11. Tales quidem quondam eratis, sed abluti estis, sed sancti, sed *iusti facti* per fidem in Iesum vi et operacione spiritus dei.

1.PETR. III, 12. Curat deus *iustos* auditque eorundem preces.

2.PETR. II, 8. EBR. XII, 23.

4. Αναγεγεννημένοι regeniti, quia vi Spiritus S. nouam mentis conditionem viresque acceperunt nouas.

I. PETR. I, 23. *Renati non ex mortali, sed immortali semine, per verbum dei viuum, efficax atque permanens in sempiternum.*

5. Φωτισθέντες.

EBR. VI, 4. *Fieri enim nequit, vt qui semel collustrati donum caeleste gustarunt.*

6. Ἀγιοι sancti, sanctificati.

2.COR. I, 1. EPH. IV, 12. V, 3. COL. I, 12.

7. Ii, qui in Christo Iesu et cum ipso coniuncti sunt: οἱ ἐν χριστῷ Ἰησού.

ROM. VIII, 1. Nulli plane condemnationi sunt obnoxii, qui in Christo Iesu (et cum eodem fide coniuncti) sunt.

### SECTIO III.

#### DE VOCATIONE.

Thef. XV. *Vocatio est excitatio ad poenitentiam agendam et oblatio gratiae, seu initiatio ad mentis emendationem eam, qua gratiae diu. participes redduntur homines.*

I.COR. I, 9. *Fidelis deus est, per quem ad Iesu Christi domini nostri communionem vocati estis.*

MATTH. XX, 16. *Multi sunt vocati, pauci electi.*

I.COR. I, 24. p. 185.

I.THESS.

1. THES. II, 12. Hortati sumus vos, vt more viuatis, qui dignus fit deo, a quo vocati estis, vt regni sui gloriosi ciues fieretis.

Thef. XVI. *Deus quondam immediate quosdam vocavit homines.*

GEN. III, 9. IV, 6.

Thef. XVII. *Ordinarie per remedia quaedam atque per alios homines vocat Deus ceteros.*

1. Homines, quibus in hoc opere perficiendo vtitur, sunt verbi diu. ministri, parentes, praeceptores, amici, alii.

2. Remedia autem varia.

a. *naturalia* quaedam; ex. gr. notitia dei et officiorum naturalis, conscientiae vis, beneficia, poenae, tribulationes, exempla aliorum etc.

*Obs.* Hanc inuitationem *naturalem* et *impropriam vocationem* recte nominant doctores.

b. *supernaturalia.*

aa. per verbum legis et

bb. euangelii.

Haec est *vocatio propria*, de qua in novo testamento saepius sermo habeatur.

Thef. XVIII. *Vocatio naturalis uniuersalis est.*

I. ACT. XIV, 17. p. 17. 58. XVII, 27. p. 10.  
ROM. I, 20. p. 2.

ROM. II, 14. Quum enim gentes exteræ, licet legem scriptam diuinitus reuelatam non habeant, legi tamen naturae aliquantum conuenienter viuere soleant, illae, quamvis lege reuelata carcent, ipsae sibi lex sunt.

2. Teste experientia.

Thes. XIX. *Vocatio supernaturalis per verbum reuelatum est vniuersalis.*

1. Quod ad intentionem dei vocantis.

1. TIM. II, 4. p. 155. 2. PETR. III, 9. p. 175.  
IOH. III, 16. p. 17.

2. Quod ad sensum verborum pertinet, quibus homines vocantur.

MATTH. XXVIII, 19. Vadite doctum etc.

IES. XLV, 22. Respicite et venite ad me gentes omnes in vniuerso terrarum orbe habitantes, vt saluemini.

3. Quia bina vice toti humano generi innotuit,  
a. per Adamum,  
b. per Noachum eiusque familiam.

4. Quia omni tempore, cum ante, tum post Christi nativitatem, Deus fecit cuncta, quae per sapientiam suam et benignitatem fieri poterant, vt omnes homines ad mentis emendationem inuitarentur.

5. Ex

5. Ex quo ad intelligendum facile est, causam, ob quam *non omnes et singuli hominum verbo dei reuelato* vocati sint, quaerendam non esse in dei gratia particulari, sed in hominum natura corrupta, atque supina eorundem negligentia, vel etiam resistentia malitiosa.

Thef. XX. *Vocantur homines*

1. ad mentis emendationem et omne virtutis studium.

ACT. XXVI, 27. *Mitto ego te ad aperiendos gentium oculos, (ad imbuendas gentes notitia veritatum euangelicarum) vt ex tenebris in lucem, ex Satanae potestate ad deum se conuertant. (vt ad fidem Christo habendam commoueantur, et ad omne virtutis studium formentur.)*

TIT. II, II. *Comparuit dei salutaris benignitas (in praedicatione euangeli) omnibus hominibus, nosque erudiit, vt procul ab omni impietate, superatisque prauis cupiditatibus, continenter, iuste et pie vivamus in hoc saeculo.*

2. vocantur ad id, vt hac et futura vita salutis per Christum acquisitae redditantur participes.

ROM. XIV, 17. *Non in eo est posita vera religio, vt potu vel esca quadam siue absti-*

abstineamus, siue fruamur; sed ut iusti simus, utque fruamur animi tranquillitate et gaudio in spiritu s.

MATTH. XI. 28. Venite ad me omnes fatigati atque onusti (legum onere, traditionum rigore, peccati conscientia) ego recreabo vos. Subite iugum meum (recipite doctrinam meam) et a me discite, qui mitis sum et mansuetus: sic inuenietis animis vestris requiem.

I.PETR. V, 10. Deus, qui omnis generis beneficia conferre solet, nos ad aeternam suam gloriam per Christum Iesum vocavit.

(†) Thes. XXI. *In conuertendis hominibus Deus ita versari solet, ut variis modis mentem illorum praepareat, quo facilius emendationem salutarem admittant.*

I. Quam diu animus Spiritus S motibus resistere pergit, operationes diu ad hominis conuersionem spectantes appellantur a theologis, *gratia praecurrans.*

ACT. VII, 51. Duri ceruici, (qui nullam admittitis mentis emendationem,) vos semper soletis resistere spiritui s. quemadmodum maiores vestri fecerunt: sic et vos.

PS. XXXII, 9. Nolite similes esse equis aut mulis, ratione carentibus, quorum maxillae frenis sunt et lupatis coercendae.

IES. LXV, 2. Pando meas manus totos dies  
ad degenerem populum, qui via ingre-  
diens non bona, suas sequitur cogita-  
tiones.

**2. Gratiam praeparantem** dicunt, qua ho-  
minis resistentia superatur.

ACT. II, 37. Iudei, sermone Petri audito,  
*animo compunsti* Petrum et ceteros aposto-  
los sic adloquuti sunt: quid agemus fratres?

ACT. XVI, 14. Et foeminae cuidam, nomi-  
ne Lydia, *deus mentem aperuit*, ut at-  
tentio animo consideraret Paulli verba.

**3. Gratiam conuertentem**, qua tandem vere  
conuertitur.

EZECH. XXXVI, 26. Spiritum nouum vobis  
largiar, atque, exempto de corporibus  
vestris lapideo corde, cor vobis dabo  
carneum meumque spiritum, atque faciam,  
ut mandatis meis pareatis legibusque  
meis praefetis obsequium.

*Obs.* Gratia prima siue repudiata, siue negle-  
cta, secunda conferri non solet. LVC. XIX, 26.  
seq. Haec est regula, quam deus per iusti-  
tiam suam in distribuenda gratia sequi solet.

Thef. XXII. *Vocat homines Deus*

**1. Pater,**

I.COR.I, 9. Fidelis deus est, per quem ad filii  
ipsius Iesu Christi communionem vocati estis.

**2. Fi-**

2. Filius,

a. immediate quondam,

EBR. I, 1. Variis rationibus modisque deus  
olim locutus est ad maiores per vates,  
postremis hisce temporibus nos per fi-  
lium suum adlocutus est.

b. iam mediate, MATTH. XXVIII, 19. p.66.

3. Spiritus S.

ACT. XX, 28. Cauete vobis et toti coetui,  
cui vos spiritus s. praeposuit custodes, ut  
dei pascatis ecclesiam.

Thef. XXIII. *Vt Deus homines vocet,  
commouet eum amor erga nos tenerrimus,  
meritum Christi, nostraque miseria.*

TIT. III, 4. Benignitate dei saluatoris nostri  
et singulari, quo fertur in humanum ge-  
nus amore, non propter opera legi con-  
sentanea, quae nos fecerimus, sed per  
ipsius misericordiam factum est, ut nos  
saluaret Deus lauacro regenerationis.

I.COR. I, 9. p. 191. MATTH. XI, 28. p. 190.

*Obs.* Finis : Dei gloria, salus hominum.

(†) Thef. XXIV. *Haec Dei vocatio est  
seria.*

1. Nam Deum in re tam ardua aliter sentien-  
tem, aliter loquentem praesumi, absolum est.

2. IOH. XVII, 17. Sanctifica eos (discipulos meos) veritate tua, *verbum tuum est veritas.*

EZECH. XXXIII, 11. Iuro per me ipsum per que vitam meam, inquit Iehouah, mihi non placere interitum impii, sed velle me, ut recedat impius a more suo peruerso et ad salutem pertingat.

3. Totius religionis fundamentum hac ratione concuteretur.

THESS. XXV. *Vocatio est apud omnes sufficiens;*

Id est, omnibus hominibus ea emendandae mentis largitur deus remedia, quibus si recte vterentur, *gratiae diu. ulterioris et tandem vitae aeternae reddi possent participes.*

ROM. I, 20. p. 2.

(†) THESS. XXVI. *Vocatio dei in omnibus est efficax.* *Licet autem prohibere non possit homo, quo minus siue peccati conscientia, siue alia ratione e. g. verbo divino, vehementer animo commoueat, atque percellatur, vim tamen habet resistendi primis hisce gratiae motibus.*

Prob. 1. Experientia.

2. ACT. VII, 51. p. 190. IES. LXV, 2.  
p. 191.

MATTH. XXIII, 37. Hierosolyma, Hierosolyma, quae vates occidis, et legatos diu ad te missos lapidas, quoties volui tuos congregare et saluare ciues, sicuti gallina suos pullos sub alas congregat, sed *noluitis*.

## MEDITATIO.

Sicuti totum genus humanum o Deus clementissime! multis variisque modis ad verae felicitatis ysum inuitare soles, sic et nos omnes parentum nostrorum monitis, doctorum institutione, aliorum exemplis, castigationibus denique et infinitis maximisque beneficiis ad te vocasti, vt aeternae salutis per filium tuum reddamur participes. Ignosce o pater caelestis! si benignis tuis inuitationibus pro ea, qua est iuuentus, animi leuitate, aurem praebere saepe recusauimus. Inspira menti nostrae hanc, qua nihil praestantius esse potest, sapientiam, vt in posterum paternae voci tuae nunquam pertinaciter resistamus; sed salutem potius, per Christum Iesum nobis paratam, grata mente accipientes, tuam voiuntatem omnibus animi nostri votis atque consiliis praeferamus.



## SECTIO IV.

## DE CONVERSIONE SEV POENITENTIA, QVAE CONTRITIONE CONTINETVR ET FIDE.

Thef. XXVII. *Si vocationem diu. admiserit homo peccator,*

1. Spiritus S. operationibus, per verbum legis et euangelii inprimis se exserentibus, de peccatorum suorum magnitudine, reatu et culpa conuictus, *tristitia* quadam salutari afficitur.
2. *Euangelii* deinde solaminibus animo refocillatus, propter *Christum* eiusque *meritum*, bene de se sperare incipit;
3. qua ex *spe* et *fiducia*, in deum, sibi reconciliatum, posita, nouus nascitur *amor* erga deum, *nouumque* vitae sanctae *propositum*. Totum hoc est opus conuerfionis, primis lineis descriptum, iam vero per partes singulas a nobis considerandum.

Thef. XXVIII. *Primum itaque in conversione hominis est contrito, quae duas habet partes praecipuas.*

- I. *agnitionem* peccatorum viuam et efficacem.

IER. III, 13. *Recognosce culpam tuam, quod contra Iehouam deum tuum peruersegeris.*

**IER. XIV, 20.** Agnoscimus, o Iehoua, mali-  
tiam nostram atque peccata patrum no-  
strorum, qui istorum more aduersum te  
peccauerimus.

**2, tristitiam** de peccatis cum *auersatione et odio illius*, cum pudore, dolore, atque ter-  
rore coniunctam, oriente in primis ex sensu  
iustitiae amorisque diuini in opere redem-  
tionis per Christum Iesum conspicui.

**2.COR. VII, 10.** *Dolor enim propter deum in animo ortus* vitae correctionem gignit  
salutarem, cuius hominem nunquam poe-  
nitet.

**ACT. II, 37.**

**Obs.** Huius contritionis esse solent *signa* va-  
ria, et gradus in diuersis hominibus diuersi.

**Thef. XXIX.** *Oritur haec contritio ex peccatorum conscientia, ex consideratione legis cum naturalis, tum reuelatae, nec non ex memoria beneficiorum diu. animique ingrati culpa diu atque diligenter ponderata.*

**ROM. III, 20.** Ex lege oritur peccati agnitus.

**ROM. VII, 7.** Peccatum non nossem nisi per legem.

**Thef. XXX.** *Finis contritionis est*

**i.** vt sentiat peccator reatus et culpae magni-  
tudinem, atque intelligat, quam animi sui  
con-

conditio misera sit eiusque caussa coram iudicio diuino desperata.

2. vt incendatur in eius animo desiderium auxilii diu. eiusdemque gratiae consequendae.
3. vt remissione peccatorum donatus, beneficii diuini vim et magnitudinem eo magis sentiat.  
**ROM. V, 20.** Quo plus est peccati (quo maior peccati agnitus et animi tristitia ex hac cognitione nata) eo maior est dei gratia (qua peccatum remittit, et eo magis intelligit peccator diu. beneficii, sibi collati, magnitudinem).
4. vt bonum deinde nouae obedientiae propositum sit firmius. **LVC. VII, 47.**

**Thef. XXXI.** *Altera pars conuersionis absolvitur fide saluifica, seu fiducia in Dei benignitate posita, qua certa firmaque animi persuasione credimus, peccata propter Christum nobis esse remissa, vitaque aeternae spem condonatam.*

**IOH. III, 18.** Qui in filium credit, non damnabitur, qui vero non credit iam damnatus est.

**ROM. I, 16.** p. 171.

**GAL. II, 16.** Scio, hominem iustum (coram deo) reputari non posse operibus (legi quodammodo consentaneis) sed tantum fiducia in Iesu Christo collocanda.

**ROM.** III, 28. Censemus nos iustum fieri hominem fide, absque legis operibus.

**Thef. XXXI.** *Vt fides saluifica in homine dignatur, requiruntur tria*

**1.** *Cognitio veritatum*, salutis ordinem continentium: Deum esse iustum; nos esse peccatores; Christum peccatorum poenas tulisse; omnes, qui hoc credant, saluari posse.

**ROM.** X, 14. Possuntne (homines) inuocare eum (deum) in quem non credant? aut credere in eum, *de quo non audierint?*

**IOH.** XVII, 3. In eo est vita aeterna, vt te *cognoscant* verum deum et quem, misisti, Iesum Christum.

**2.** *Affensus*, seu certa mentis persuasio, haec omnia esse vera,

**ROM.** IV, 20. Abraham de dei promisso minime dubitauit, sed fide bene confirmata et constanti deo gloriam tribuit, certum habens et exploratum, deum, quaecunque promisisset, posse praestare.

**EBR.** XI, 1. Est autem fides constans rerum futurorum expectatio certissimaque mentis persuasio de rebus sub sensu non carentibus.

**3.** *Fiducia*, seu certa mentis persuasio hanc salutem et *ad nos pertinere*.

GAL. II, 20. Non ego tam viuo, quam Christus in me habitans (omnesque vitae meae actiones dirigens.) Totam itaque vitam meam sic perago, vt semper maneam in *fiducia*, posita in filio dei, qui adeo impense *me* amavit, vt se ipsum pro me (in mortem) traderet.

Thef. XXXIII. *Sunt in diuersis hominibus fidei gradus diuersi.*

MATTH. XV, 28. ROM. IV, 120. p. 198.

Thef. XXXIV. *Haec poenitentia seu conuersio, quae absoluitur contritione et fide*  
 1. et si *sera* sit, tamen potest esse, licet raro sit,  
 vera. I. TIM. II, 4. etc.  
 2. *quotidie* est repetenda.

(†) Quanta Deus fit erga genus humanum mansuetudine atque clementia vel maxime inde patet, quod semper paratus est ad ignoscendum omnibus, qui, errores confessi, poenae remissionem efflagitent, suam in Christo collocantes fiduciam. Incredibilem hunc Dei erga nos amorem quis non animo grato agnoscat? quis non obsequio, amore omniisque pietatis studio patrem colat adeo propitium atque clementem? Quanta vero, par est, poena affligi eos, qui hanc tantam gratiam siue vilipendunt, siue eandem ipsam ob causam peccare pergunt, quod

Deus ad culpam condonandam pronus est atque facilis? O Deus benignissime! largiaris nobis hanc mentem, vt dignos edamus poenitiae fructus; vt sicuti tu filium tuum pro nobis tradidisti vnigenitum, sic et tibi nos tradamus tibique ita viuamus, vt omni bonorum operum studio, animique grati sensu te semper colamus.

**Thef. XXXV.** *Conuersio multis scripturaræ locis tribuitur homini,*

**2. PAR. XXX, 6.** Redite ad Iehouam Israelite.

**IER. III, 14.** Conuertite vos ad me o homines a me auersi, inquit Iehoua.

**ACT. III, 19.**

1. Quia remediis gratiae yti potest, quibus mens praeparatur ad gratiam diu. excipendam.

**THREN. III, 40. conf. ROM. III, 20.**

2. Quia bonos motus, gratia praeueniente in animo natos, in vsum suum potest conuertere.

3. Quia homines internam mentis inuitationem, a deo productam, externis signis indicare solent. **HOS. II, 12.**

**Obs.** Si conuersio homini tribuitur, dici solet *intransitiua.*

**Thef. XXXVI.** *Mentis autem emendatio ipsa, in qua est posita conuersionis essentia et natura, dei est opus, non hominis*

**I.** Deus

1. Deus enim multis variisque modis primos excitat in animo motus, in quibus est conuer-sionis initium. PHIL. II, 13. p. 181.
  2. Suppeditat salutis remedia, legem, euange-lium, sacramenta.
  3. Auctor esse dicitur
    - a. contritionis verae. ROM. VII, 7. III, 20.
    - b. fidei.

IOH. VI, 44. Nemo potest ad me venire (in me credere atque tecum viviri) nisi pa-ter, qui misit me, eum trahat.

PHIL. I, 29. A deo vobis datum est, non modo id, vt Christo habeatis fidem, sed etiam, vt pro Christo aduersa patiamini.

I. PETR. I, 23. Renati estis, non ex corru-ptibili, sed immortali semine, nempe per verbum Dei viuum et permanens in semp-ternum.
  4. Idem colligitur ex eo, quod praeter deum regenerare et illuminare hominis animum potest nemo. Quod infra dictis pluribus con-firmabimus, hoc loco sufficient. IAC. I, 17. 18.
- I. PETR. I, 23. IOH. III, 5. etc.
- Obs. 1.* Si conuersio deo tribuitur, appella-tur *transituia*. *2. TIM. II, 25. IER. XXXI, 18.*
- Obs. 2.* Idem opus dei in codice noui testa-menti *illuminationis* et *regenerationis* no-men gerit, quarum iam vocum vim sigil-latim explicabimus.

## SECTIO V.

## DE ILLVMINATIONE.

Thef. XXXVII. *More loquendi eo, quo auctores noui Testamenti olim vtebantur, illuminati sunt ii tantum, qui cognitione legis et euangelii viua et salutari praediti, ideoque conuersi sunt.*

*Prob. 1. EBR. VI, 4. p. 174.*

2. *I. IOH. II, 9. Qui se in lumine esse dicit, et tamen fratrem suum odit, is adhuc in tenebris est. (Cuius loci sensus est: qui se regenitum menteque credit emendatum, cum odium alit aduersus alios homines, is gratiam dei nondum adeptus sub peccati est dominio.)*

3. *ACT. XXVI, 18. p. 189.*

4. *EPH. I, 17. Precor, vt Deus domini nostri Iesu Christi, deus nempe summus et gloriosus velit vos donare spiritu sapientiae et reuelatione veritatum diu. quo eum rite cognoscatis, vestrasque illustrare mentes, vt cognoscatis quanta bona sint vocatis speranda.*

5. *EPH. V. 8. Quum enim essetis aliquando mente tenebris obfuscati, nunc illustrati estis per dominum.*

*Illuminatio* itaque est Spiritus S. operatio ea, qua per legem et euangelium hominis peccatoris intellectum salutari imbuit notitia, eiusque voluntatem animumque totum ita afficit, ut per fidem in Christum gratiae diu. fiat particeps.

*Obs.* More scholastico illuminati appellari solent, qui veritatum reuelatarum notitia probe instructi sunt.

Thef. XXXVIII. *Illuminatio in s. litteris deo semper, in primis Spiritui S. homini nunquam tribuitur.*

2.cor.IV, 6. Deus, qui effecit olim, ut ex tenebris lux et dies prima oriretur, is idem est, qui illuminauit mentes nostras clara dei gloriofi cognitione, resplendescente quasi ex facie Iesu Christi (auctoris illius cognitionis).

IOH.I, 4.5. Christus erat vita, seu omnis salutis humanae fons et principium; et haec vita *lux* erat hominum. Lux splendebat in tenebris, et tenebrae illam non admirerunt. (Hoc est: Christus cognitionis salutaris et verae felicitatis auctor ab Iudeis repudiatus est).

Thef. XXXIX. *Remedium, quo Deus in illuminandis hominibus ordinarie vtitur, est verbum reuelatum.*

ROM.

EZR. VI, 4.5. p. 174.

PSAL. CXIX, 105. Lucerna sunt dicta tua  
pedibus meis, mihique in viis et actioni-  
bus meis praebent lucem salutaremque co-  
gnitionem.

*Obs.* Deus veritatibus, etiam iis quae homini per  
naturam innotescunt, vti solet ad praepa-  
randum hominis animum et fortius commo-  
uendum.

Thes. XL. *Remedia, ab hominibus ad-  
libenda eum in finem, ut illuminentur, sunt  
verbum diu. preces, usus veritatum saluta-  
rium cum indefesso virtutis studio coniunctus.*

Thes. XLI. *Omnis, qui siue sermoni-  
bus, siue litteris aliquid conferunt ad id,  
vt alii homines siue ad veritatum saluta-  
rium notitiam pertingant, siue eius vim  
animo experiantur, instrumenta sunt, qui-  
bus deus in illuminandis ceteris homini-  
bus utitur.*

ACT. XXVI, 18. p. 189.

## SECTIO VI. DE REGENERATIONE.

Thes. XLII. *In conuersione omnes ani-  
mae facultates mutationem quandam sub-  
eunt sensimque emendantur.*

1. Intellectus cognitione imbuitur veritatum salutarium. EPH. I, 17. p. 202.

2. Voluntas ita dirigitur, ut mandatis diu facile obtemperet.

EPH. V, 8. 9. Gerite vos ut homines verbo Dei collustratos. Sunt autem fructus spiritus erga alios benigna voluntas, omne que virtutis et veritatis studium.

3. Affectuum cupiditatumque prauarum vis sensim compescitur, motusque boni in animo excitantur.

GAL. V, 22. Fructus spiritus (id quod spiritus dei per verbum diu. in homine regenito operatur,) est amor, gaudium, animi requies et pacis studium, lenitas erga alios, benignitas, munificentia, fides, mansuetudo, continentia.

4. Viribus praeterea exornatur homo nouis, quo possit nouam praestare deo obedientiam.

EPH. III, 16. Deus pro virium suarum copia atque praeftantia det vobis id beneficij, ut per spiritum suum fortiter coroboremini in mente vestra diuinitus emendata.

Quia itaque totus quasi homo mutatur atque deinde quotidie magis renouatur, ideo conuersio *regeneratio* dicitur; homo autem conuersus noua creatura, *καίνη κτίσις*, homo, cui deus creauerit cor pu-

rum, cui dederit cor molle loco cordis lapidei\*) etc. PS. LI, 12. EZECH. XXXVI, 26. IOH. III, 5. I. PETR. I, 23. Eandem ob caussam conuersio transitiua seu regenerationis comparatur operationi tali, quia deus *hominem mortuum in vitam restituit*. EPH. II, 1 - 6.

*L* Thes. XLIII. *Est itaque regenerationis operatio Spiritus S. ea, qua hominem peccatorem ita mutat atque emendat, ut gratiam dei consequatur atque salutis aeternae fieri possit particeps.*

*Obs.* Regenerati acceperunt vires nouas, seu vitam nouam; recte itaque dicimus, regenerationem esse collationem vitae nouae, nempe vitae spiritualis.

Thes. XLIV. *Salutaris haec hominis emendatio ordinarie peragitur ope verbi diu. et sacramentorum.*

TIT. III, 5. Pro sua misericordia deus seruauit nos lauacro regenerationis atque renouationis, vi Spiritus S.

2.COR. VII, 10. p. 169.

I.COR.

\*) Ideo et apud iudeos vsu receptum fuit eos appellare *nomos homines*, qui ex gentilium superstitione ad religionem iudaicam conuersi fuerant.

I.COR. IV, 15. Ego (Paullus) vos *genui* annuncians vobis euangelium de Christo.

ROM. I, 16. p. 171.

Thef. XLV. *Singulis personis diu tribuitur regenerationis opus:*

patri,

IAC. I, 18. *Genuit nos deus pro voluntate sua benignoque decreto vi veritatis (legis et euangelii), vt essemus primitiae suorum operum (primi et praefantissimi ciues ecclesiae noui testamenti).*

filio,

IOH. I, 12. *Quicunque autem eum (Dei Filium) animo fidei receperunt, iis potestatem dedit hanc, vt Dei Filii fierent.*

Spiritui S.

TIT. III, 5. p. 200.

Thef. XLVI. *Homines, quibus Deus vtitur ad hoc opus perficiendum, sunt verbi diu. ministri. parentes, praeceptrores, alii.*

I.COR. IV, 15. p. vide supra GAL. IV, 19.

Thef. XLVII. *Hanc emendatae mentis bonam conditionem homines et amittere possunt et recuperare.*


I.TIM. I, 19. Conserua fidem bonamque conscientiam, qua quidam deficientes fidei naufragium fecerunt.

## PSAL. LI.

Exempl. Dauides, Petrus, alii.

## MEDITATIO.

Tu vero noli permettere, benigne Deus! vt, quibus nos exornasti, summis spoliemur beneficiis. Pro ea enim, qua erga nos esse soles clementia, animos nostros spiritus tui vi emendare coepisti; ope verbi tui veritatum cognitu dignissimarum nobis impertiuiisti notitiam; viribus nos instruxisti ad colendam vitae sanctimoniam necessariis, aliisque largiter nos beasti animi donis. Accipe dulcissime Pater! demissi animi grates, licet quas tibi persoluamus dignas, non habeamus. Placeat modo tibi tot ac tantis, quae in nos contulisti, beneficiis, addere hoc vnum, vt et in posterum mentis nostrae imbecillitati succurras, atque nos ad omne virtutis studium sic incites, vt veritatum caelestium notitia in animis nostris quotidie aucta, quid fugiendum, quid factu optimum sit probe intelligamus; vt ad tuam imaginem magis magisque formati, eiusmodi alamus sensus, vti sentire et agere conuenit dei filiis, per Iesum Christum ab omni nequitia liberatis.



## CAP. IX.

### DE IVSTIFICATIONE.

Thef. I. *Verbum δικαιοώ*, significat fere in plurimis scripturae locis iustum pronuncio aliquem, siue in iudicio, siue extra iudicium.

PROV. XVII, 15. Et qui sontem *absoluit*, et qui insontem *damnat*, vtrumque aequa que detestatur Iehoua.

IES. V, 23.

*Obj.* 1. Sunt quaedam loca scripturae s. in quibus δικαιεῖν iustum facere et emendare indicare videtur, e. c. 1.COR. VI, 11. item, imbuere notitia veritatum earum, quarum cognitione homines iusti fieri possunt.

DAN. XII, 3.

*Obj.* 2. Probe obseruent velimus lectores, iustificationem non *alio tempore* fieri, ac regenerationem, seu conuerzionem.

Thef. II. *Iustificatio est iudicium dei*, quo hominem ob meritum Christi, fide apprehensum, iustum reputat et gratia sua dignum.

Meritum autem Christi positum est in eo, quod peccatorum nostrorum poenas subiit, et

O                      omnia

omnia fecit, quae nos facere quidem debebamus, sed siue non possumus, ob naturae nostrae imbecillitatem, siue per negligentiam aliasque causas praetermisimus.

**R**OM. VIII, 33.34. Quis dei dilectos accuset? deus est, qui eosdem absolvit. Quis est, qui damnet? Adeo Christus, qui (pro nobis) mortuus est, quin imo a mortuis resuscitatus, et ad dextram dei positus, pro nobis supplicat.

**R**OM. III, 23. Omnes peccauerunt homines diuinaque gloria (imagine diu.) carent; ideoque iustificandi sunt *gratis*, dei beneficio, per liberationem, quae fit per Christum Iesum.

**2.COR.** V, 19. Deus per Christum mundum reconciliauit sibi ipsi, hominibus non imputans ipsorum peccata.

**Thef. III.** *Homo non iustificatur propter opera bona, sed ob unum meritum Christi, illi a deo imputatum.*

**R**OM. III, 28. Censemus ergo fide iustificari hominem, absque legis operibus.

**GAL.** III, 21.22. Si lata esset lex, quae vitam posset (aeternam) conferre, huius observatione iustus fieret homo. (Hoc autem non sic se habet). Sed declarauit scriptura s. omnes homines esse peccatores,

vt inde appareat, beneficium promissum dari credentibus in Christum Iesum.

**PHIL.** III. 9. Non ea est iustitia mea, quae a lege pendeat, sed quae oritur e fide in Christum, quae nimis a deo homini propter fidem imputatur.

**EPH.** II, 8. Dei beneficio estis seruati, per fidem, idque non ob vestra merita, sed dei donum est, quod vobis non collatum est ob bona opera a vobis peracta, ne quis se iactet.

(†) **Thes.** IV. *Hoc de homine conuerso atque regenito iudicium, in deo non oritur tempore eo, quo homo conuertitur, inerat eius intellectui ab aeterno.*

**Prob.** I. **EPH.** I, 4. Quemadmodum Deus patet nos in Christo (propter fidem in Christum praeuisam) elegerat *ante orbem conditum.*

2. Quia Deus est immutabilis.

(†) **Obs.** Ideoque Deus non mutatur, etsi vel maxime homo propter fidem *iustificatus*, in peccata voluntaria prolapsus, gratia excidat, atque iterum ad mentem meliorem redeat. Has enim omnes hominis mutationes deus praeuidit ab aeterno; fuitque in eius intellectu continuo et sine intermissione iudicium hisce hominis mutationibus conueniens.

Ex quo patet omnia scripturae loca, hanc doctrinam explicantia, esse anthropopathica atque θεοπατητικā intelligenda.

Thef. V. *Iustificantur omnes, qui remediis gratiae adhibitis regenerantur; ergo et infantes in baptismo.*

Qua de re plura in articulo de baptismate.

Thef. VI. *Adultos iustificat fides, non mortua illa et tantum historica; sed viua, cum nouae obedientiae proposito coniuncta.*

IAC. II, 18. *Est forte, qui dicat: tu fidem habes, ego opera; sed enim, ostende mihi tuam fidem tuis operibus, et ego tibi meis operibus fidem meam ostendam.*

GAL. V, 6. *In Christo Iesu neque circumcisio quicquam valet, neque praeputium, sed fides operans per caritatem. (qui opera bona gignit.)*

Thef. VII. *Finis iustificationis est is, ut demonstretur*

1. sapientia, bonitas, atque iustitia diuina.

ROM. III, 25. p. 154.

2. ut omnium bonorum a Christo partorum homo particeps fiat.

ROM.

**ROM.** V, 1. Fide iustificati pacem habemus cum deo per dominum nostrum Iesum Christum.

VIII, 32. p. 146.

**Thef. VIII.** *Horum beneficiorum principalia sunt*

1. Pax diu. et tranquilla conscientia.

**ROM.** V, 1.

2. Certa persuasio, nos caros esse deo, filiorum loco nos habenti. **IOH.** I, 12. p. 207.

3. Gaudium spirituale. **ROM.** XIV, 17. p. 189.

4. Collatio donorum Spiritus S. **ROM.** VIII, 15.

**GAL.** IV, 6. Quoniam dei filii estis, misit ipse filii sui spiritum in vestros animos.

5. Spes certa, fore, vt deus ad vitae finem vsque nos in huius salutis possessione conservet.

**PHIL.** I, 6. Hoc fore confido, vt qui in vobis inchoauit mentis emendationem, idem absoluat vsque ad diem Iesu Christi.

**ROM.** VIII, 35. etc.

**Thef. IX.** *Ex eo tempore, quo homo vera fide se praeditum sentit, ius ei competit, se ipsum habendi pro iustificato, seu pro homine tali, qui a poenis peccatorum liberatus gratiaque dei dignus sit. Quam*

*hominis actionem iustificationem intransi-  
tiuam appellant.*

ROM. VIII, 31. etc.

*Obs.* Licet homines quidam vere sint iustifi-  
cati, diu tamen ita excruciantur animi du-  
bitationibus, vt se ipsos pro iustis habere  
nequeant; quam miseram mentis conditio-  
nem *flatum tentationis* Theologi appellare  
solent.

Thef. X. *Signa itaque certa constitucn-  
da sunt, quibus praesentibus, firma animi  
persuasione credere possumus, nos esse iu-  
stificatos. Horum signorum duplex ge-  
nus est.*

A. *Sunt interna*

1. Tristitia de peccatis seria.
2. Animi persuasio ea, qua credimus deum  
omnia propter Christum peccata nobis re-  
misisse. Quae persuasio, si *tempore ten-  
tationis* obtineri non possit, cetera signa  
sufficiant, vsque dum dubiorum vis su-  
peretur.
3. Propositum obedientiae deo praestandae  
atque odium peccati sincerum.
4. Animi motus boni, pudor oriens ex pec-  
catorum commissorum memoria, stimuli ad  
preces fundendas, amor erga deum et  
alios, deo placendi studium, etc.

B. *Sunt*

B. *Sunt externa.* Bona nempe omnis generis opera, serium omnis peccati fugiendi studium in ipsis vitae actionibus conspicuum.

(†) Bonos hos animi motus qui non alit, nec praeclaros edit fidei fructus, dici non potest, quantopere sibimet ipsi illudat, cum iustum se propter fidem et beatum censeat. *Ostende mihi fidem tuam tuis operibus! Qui iusta facit, is iustus est. Quisquis spem vult in Christo ponere, purgat is se, ut purus et sanctus sit, sicuti Christus.* Nam si fides iustos redderet eos, qui in peccatis committendis perseuerant, religionis christianae doctrina pestis esset generis humani, deus (quod dictu horrendum) omnis mali fautor atque promotor, Christus peccati minister. Stat ergo firmum omnis religionis nostrae fundamentum: recedat ab omni nequitia, quisquis Christo dedit nomen. 2. TIM. II. 19.

Ad sis nobis, o Deus, spiritus tui gratia, vt omni studio in id incumbamus, quo fides nostra fructus edat egregios atque copiosos; vt te omnibus locis temporibusque timentes, quicquid malum sit, odio habeamus, omneque sequamur virtutum genus; vt pii erga te, vt mansueti, vt ad ignoscendum faciles, vt continentes et casti simus atque his quidem fidei nostrae documentis aliis nobisque ipsis testatum faciamus, per fidem in Christum nos esse iustos atque beatos.



## CAP. X.

DE STATV HOMINVM REGENITORVM SEV DE VNIONE MYSTICA, SANCTIFICATIONE ET BONIS OPERIBVS.

---

## SECTIO I.

## DE VNIONE MYSTICA.

Thef. I. *Deus cum omnibus hominibus quodammodo coniunctus est.*

Nam omnes conseruat; omnes gubernat. ACT. XVII, 27. etc.

*Obs.* Hanc vniōnem appellare liceat *naturalem*.

Thef. II. *Deus in hominibus multis modo quodam supernaturali per verbum et sacramenta gratia praeuenienti operatur antequam renascantur, ideoque cum iisdem magis coniunctus est, quam cum ceteris.*

*Obs.* Quia autem homines irregeniti deo resistunt, cum iisdem ita coniungi non potest, ut in illis quasi *habitet* atque *maneat*.

Thef. III. *Peculiariter autem modo deus continuo operatur in homine, cuius animus*  
*Spiri-*

*Spiritus S. vi regeneratus atque emendatus est.*

Atqui peculiaris haec agendi ratio, qua deus cum homine regenito semper coniunctus est, *vnio mystica* dicitur, cuius vis ea est, ut dicatur Deus per Christum in illis manere, habitare, agere, viuere. Hanc eximiam dei praesentiam locum habere in regenitis, probatur ex Ioh. XIV, 23. Si quis me amat, inquit Christus, is verbis meis et fidem habebit mihique praestabit obsequium. Eumque non solum meus pater amabit, sed et nos peculiari quadam ratione cum eo coniuncti apud eum manebimus.

GAL. II, 20. p. 199.

Ioh. XV, 1.

EPHES. IV, 15. Christus (ecclesiae) caput est, ex quo totum corpus coagmentatum, compactum et commissuris quasi coniunctum est ea quidem ratione, ut membra (fideles) se inuicem adiuuent, secundum vitium modum, quo quoduis praeditum est, ut vi amoris mutui corpus incrementa semper capiat maiora.

*Obs.* Cum deus vbique locorum praefens sit, eiusdemque natura immutabilis; luce meridiana clarius est, eum, quod ad essentiam suam pertinet, in uno loco non magis esse posse, quam in altero.

Thef. IV. *Huius vnionis et caussae et partes singulae sunt personae diuinae; quod patet ex locis.*

IOH. XIV, 23. p. 217.

IOH. XV, 1.

1 COR. III, 16. *An nescitis vos dei esse tempulum, deique spiritum in vobis habitare?*

2 PETR. I, 3. 4. *Omnis generis vires ad vitae probitatem pietatemque in deum datae sunt nobis per cognitionem eius, qui nos gloriosa sua virtute vocavit.*

THef. V. *Remedia, quae deus in hac peculiari agendi ratione adhibet, sunt verbum diu. et sacramenta. Quo igitur homo cum deo siue vniatur, siue in hac vniione cum deo permaneat, opus est, ut saepius vtratur,*

*Verbo dei, et sacramento sc. coenae; vt precibus vacet, saepiusque de deo cogiter; vt fiduciam in deo positam corroboret; vt mandatis diu. obsequium praestet, quam poterit accuratissimum.* IOH. XIV, 23.

(†) Thef. VI. *Efficitur hoc vnionis genere*  
1. *vt deus peculiari amore in hominem secum vnitum feratur,*

IOH. XIV, 23. p. 217.

2. *vt*

2. vt persuasionem de remissione peccatorum et spem vitae aeternae in eius mente confirmet,

GAL. II, 20. p. 199.

3. vt animi motibus quibusdam suauiter illum afficiat.

ROM. XIV, 17. p. 189.

4. vt viribus eundem exornet maioribus, ad virtutem sequendam necessariis.

IOH. XV, 5. etc. PHIL. IV, 13.

5. vt homo regenitus dulci feratur in deum amore.

6. vt omnia, quae Christi sunt, sua esse existimare sibi liceat.

I COR. I, 30.

7. vt in hac vnione per Christum cum omnibus reliquis fidelibus arctissime coniungatur.

EPH. IV, 15. p. 217.

#### MEDITATIO.

Maneas itaque o Iesu! mi redemtor, mi deus et domine! habitesque in animo meo in semipiternum; vt tuo fruar amore dulcissimo, vt tua virtute in vincendis libidinibus fortis, ad omne virtutis genus aptus et promptus sim; vt iucundissima animi requie, vt solatio, vt vitae aeternae spe refociller in omnibus vitae meae casibus; vt hoc summorum beneficiorum vnu gratique animi sensu ceu vinculis arctissime te-

tecum copuler. Sic in te manebo, sicuti tu in animo meo; ad te tacita saepe mittam suspiria, te in primis mente mea desiderabo; de te cogitabo libenter, vbiunque sim, in requie, in via, in operibus perficiendis; tibi me totum tradam; tibi viuam; tibi moriar.

## SECTIO II.

### DE SANCTIFICATIONE ET RENOVATIONE.

*Thef. VII.* *Sanctificatio seu renouatio transitiua est operatio dei, qua hominem conuersum magis magisque emendat.*

**I THESS.** V, 23. *Ipse Deus pacis sanctos vos reddat et perfectos animamque vestram spiritu dei emendatam omnesque animi facultates una cum corpore vestro labis expertes feruet usque in aduentum Domini nostri Iesu Christi.*

**2 COR. IV, 5.** *Si exterior nostrae naturae pars (corpus) corrumpatur, interior (anima diuinitus emendata) renouatur in dies.*

*Obs. 1.* Huius sanctificationis caussa efficiens est itaque deus trinunus.

*Obs. 2.* Ex definitione ipsa prono fluit alueo hoc: praeter regenitum posse sanctificari neminem.

*Thef.*

Thef. VIII. *Sanctificatio seu renouatio intransitiua est hominis regeniti se ipsum magis magisque emendandi studium.*

**2 COR. VII, 1.** Tanta itaque cum habeamus promissa, purgemus nos ipsos ab omni et corporis et animi labe, atque studeamus vitae sanctitati, quae maxime gignitur atque alitur pietate erga Deum.

**EPH. IV, 23. 24.** Edocti estis, quomodo beatis renouari animo vestro, spiritu dei emendato, atque induere nouum hominem (nouam et bonam mentis conditionem, animi sensa et mores laudabiles deoque gratos) conditum ad dei imaginem atque iustitia vera praeditum. Coll. Cap. II, 10. p. 181.

*Obs.* Homo a deo regenitus exornatus est viribus nouis ad virtutis studium necessariis, ideoque in opere emendationis sui ipsius multa potest agere et efficere.

Thef. IX. *Est igitur sanctificatio seu renouatio, si partes eius quasi singulas consideres, in eo posita, vt*

1. hominis regeniti notitia de rebus diu. augetur.

**COL. I, 9.**

2. vt serium peccati fugiendi atque virtutis prosequendae studium magis magisque confirmetur.

**2 PETR. I, 5.** Omni studio incumbite in hoc, vt e fide vestra oriantur omnis generis virtutes, vt rerum bonarum (et diuinarum in primis) notitia, vt temperantia, vt patientia, vt pietas, vt amor fraternus, vt amor denique vester erga omnes homines indies augeatur.

3. vt viribus ad bona opera edenda necessariis instruatur pluribus.

**EPH. IV, 15. 16. p. 217.**

4. vt animi affectus compescere, cupiditatibusque facilius imperare discat.

**EPH. IV, 31.**

5. vt perget corpus deo dicare et ab omnibus peccatorum fordibus immaculatum feruare.

**I THESS. 4. 5.** Sciat quisque vestrum corpus feruare purum atque honestum; atque nolite, vti gentes reliquae, deum verum ignorantes, affectus animi sequi prauos.

**Thes. X.** *Hoc se ipsum emendandi seu sanctificandi studium necessarium est.*

Nam

1. Deus id saepius ab hominibus conuersis efflagitat.

**I PETR.**

- 1 PETR. I, 15. Quemadmodum, qui vos vocavit, sanctus est; ita vos quoque vitae sanctimoniae semper studeatis. Scriptum enim est: sancti estote; quia et ego (Deus) sanctus sum.
2. Deus cum hominibus a sanctitate alienis vniuersi nequit.
- EBR. XII, 14. Pacem cum omnibus professumini et vitae studeatis sanctimoniae, sine qua nemo dominum videbit.
3. Absque ferio sanctitatis studio nulla salutis certa spes.
- MATTH. VII, 21. Non is in caeleste regnum intrabit, qui sedulo mihi dicit, Domine! Domine! sed qui leges patris mei obseruauerit.
4. In sanctitatis sensu posita est magna pars nostrae felicitatis.
5. Exigit sanctitatem hominum redemptio per Christum facta.
- TIT. II, 14. Christus se ipsum pro nobis dedit, ut nos vindicaret a peccati imperio et sibi lustraret atque purgaret populum peculiarem, qui diligentissime studeret omni virtutis generi.
6. Exemplum Christi et hominum proborum omnium.
7. Aeterna gloria *santis* promissa.

Thes.

Thef. XI. *In emendandis hominibus utitur deus: Omni veritatum salutarium genere, coena s. beneficiis, castigationibus, exemplis aliorum hominum, cum exornatorum beneficiis diu. tum et ab eodem ob peccata sua castigatorum, admonitionibus doctorum, parentum, amicorum etc.*

ΙΟΗ. XVII, 17.

ΡΟΜ. II, 4. Ignoras te dei beneficentia inuitari, vt ad meliorem redeas mentem?

ΕΒΡ. XII, 6. Quem enim amat Dominus, illum et castigat; verberat quemcunque ceu filium acceptum habet.

*Obs.* Remedia itaque ab homine regenito adhibenda, quo magis magisque se ipsum emendet, sunt verbum dei, s. coena, beneficiorum diu. pia et sedula commemoratio, rerum tristium usus sapiens, preces etc.

Thef. XII. *Eum perfectionis gradum hominum regenitorum nullus bac in vita attingit, vt nullo plane contaminetur peccato; seu sanctificatio hominis, bac in vita degentis, nunquam fit perfecta.*

I. ΙΟΗ. I, 8.

ΙΑC. III, 2. Multa delinquimus omnes.

## SECTIO III.

## DE BONIS OPERIBVS.

Thef. XIII. *Quemadmodum sanctificationis natura posita est praecipue in bonis animi affectionibus motibusque; ita bona opera sunt actiones hominum regenitorum liberae, quibus animi emendati conditio cernitur.*

*Obs.* 1. Hoc sensu voces ἔργον αἵγαθὸν, ἔργον καλὸν, in nouo testamento vt plurimum occurrunt. E. c.

MATTH. V, 16. Luceat vestra lux apud homines, vt vestra videant opera legi diu. consentanea atque patrem vestrum, qui est in caelis, laudibus suis celebrent.

2 COR. IX, 8. Potest autem deus virium atque beneficiorum suorum copia vos ita cumulare, vt sufficienter et abunde sitis instructi ad omne virtutis genus sequendum.

*Obs.* 2. Nonnunquam ἔργα latiori sensu, significant etiam animi bonos motus omnes, cogitationes sensusque deo gratos, vna cum verbis et actionibus bonis, orientibus ex fonte animi regeniti per fidem cum Christo coniuncti. Hoc sensu ROM. II, 6. dicitur deum daturum unicum secundum *opera* sua.

Thef. XIV. *Non nisi homo regenitus opera bona edere potest.*

*Prob. 1. IOH. III, 5. 6.*

*2. EPH. II, 1 - 5.*

*3. MATTH. VII, 17. Omnis arbor bona fructus bonos edit; tetra autem arbor fructus malos edit.*

*4. PSAL. LI, 12.*

*Obs.* Homines nondum renatos aptos esse edendis actionibus legi naturae aliquantum conformibus, haud inficiamur. Has autem actiones naturaliter bonas, bona opera appellare non solet scriptura s. Bona siquidem opera dicendi genere eo, quo auctores diu. vtuntur, sunt fructus spiritus GAL. V, 22. fructus poenitentiae. MATTH. III, 8.

Thef. XV. *Auctor itaque bonorum op-  
rum princeps est Deus.*

*Prob. 1. Quia nos creauit et redemit ad bona opera.*

*2. Quia verbo et sacramentis aptos nos reddit edendis bonis operibus.*

*2 TIM. III, 16. 17. Tota scriptura s. diuinitus inspirata est atque utilis ad doctrinam, ad reprehensionem, ad animi correctionem, ad morum disciplinam, vt homines diuinitus emendati (et ii in primis, quos deus*

deus ad euangelii praedicationem destinauit) apti reddantur ad omne genus bonorum operum.

**2 THESS. II, 17.**

**3.** Quia ad singula opera perficienda et bonam nobis largitur voluntatem et vires necessarias.

**PHIL. II, 13.** p. 181.

**Obs. 1.** Homines regeniti autem auctores bonorum operum sunt.

- 1.** Quia bonorum operum edendorum confilia capiunt.
- 2.** Quia opera ipsi peragunt viribus, quibus a deo sunt exornati.
- 3.** Quia iisdem opera imputantur.
- 4.** Quia operum bonorum praemia iis sunt constituta.

**Thef. XVI.** *Bona opera necessaria non sunt tanquam causa salutis aeternae.*

**1.** Quia electio ad salutem aeternam facta est in Christo et propter Christum.  
**EPH. I, 4. s. p. 211.**

**2.** Quia iustificatio est gratuita. **ROM. III, 28.** p. 210.

**3.** **EPH. II, 8.** p. 211. **TIT. III, 5.** p. 206.

Thef. XVII. *Fructus Spiritus S. interni autem, seu boni motus animi regeniti e fide oriundi necessarii sunt.*

1. Quia sine proposito viuo obedientiae nouae, deo praestandae, fides mortua est; fides autem viua tantum iustificat.

GAL. V, 6. p. 212.

2. Quia boni motus animi e. g. amor dei etc. a fide vera separari nequeunt. Ex arbore bona boni nascuntur fructus. Fides per caritatem semper est efficax.

Thef. XVIII. *Opera bona externa necessaria atque utilia sunt:*

1. Quia lege diu. multisque aliis scripturae locis iubemur omne virtutis studium prosequi.

MATTH. V, 16. p. 225.

2. Quia ad illustrandam dei gloriam faciunt.

I PETR. II, 9. Vos genus estis electum, regale sacerdotium, sancta gens, populus adquisitus, vt virtutes et laudes praedictis eius, qui vos ex tenebris in miraculose suam lucem vocavit (i. e. qui vos euangelii veritatibus imbutos ad meliorem mentem reuocavit atque verae salutis redditum participes.)

3. Quia ex operibus fidei vita diiudicanda est.

GAL. V, 6. IAC. II, 18. etc. p. 212.

4. Quia

4. Quia ad studium bonorum operum redemtionis beneficium merito nos excitat.

TIT. II, 14. p. 223.

5. Quia deum non amat, qui aliis benefacere non cupidit.

IOH. IV, 21. Hanc ab eo (Iesu Christo) doctrinam accepimus, deum qui amet, alios eum quoque amare homines.

6. Quia praemia magna operibus bonis constituta sunt.

PSAL. XLI, 2. etc. ROM. II, 6. p. 225.

Thef. XIX. *Merces meritoria bonis operibus constituta non est. Habent tamen mercedem gratuitam triplicem, terrestrem, spiritualem, coelestem.*

LVC. XVII, 10. Si omnia, vobis mandata, feceritis, dicite, vos inutiles esse seruos, qui, quod debuerant, fecerint.

PSAL. XLI, 2. etc. O quam felix est, qui egentium miseretur, eum aduerso tempore liberabit Iehouah atque ita tuebitur et conseruabit, vt felix atque faustus sit.

LVC. XIX, 26. Qui habet, quod viribus sibi collatis acquisiuerit, illi plus dabitur.

MATTH. XXV, 34. 35. Dicit rex (Christus) iis, qui erunt ad eius dextram, adeste o beati patris mei, accipite paratum vobis

regnum ab orbe condito. Nam quum esu-  
rirerem, dedistis mihi, quod comederem etc.

**Thef. XX.** *Illi igitur, qui fide conse-  
quuntur aeternam salutem, virtutis praemia  
constituta sunt aeterna. Vitae aeternae  
beneficium est ex fide gratis datum cre-  
denti; gloriae gradus diuersi sunt ex ope-  
ribus.*

Huiusmodi mercedem gratuitam operi-  
bus a deo constitutam esse patet ex

**Ebr. VI, 10.** Non ita (iustus et) parum  
benignus deus est, vt obliuiscatur opera  
laboremque caritatis vestrae.

**Ebr. XI, 6.** Credendum est ei, qui ad deum  
aliquando accessurus fit, esse deum, et  
quaerentibus ipsum praemia distributurum.

**Thef. XXI.** *Bona hominum regenitorum  
opera in se quidem imperfecta sunt, deo  
tamen grata ob fidem in Christum.*

**A. Imperfecta sunt,**

1. quia regenitorum mentibus peccati ori-  
ginalis labes inhaeret.

**I IOH. I, 7.**

2. quia mortalium nullus legi diu. ex ase  
potest satisfacere.

**IAC. III, 2. p. 224.**

**B. Deo**

*B. Deo placent ob fidem in Christum.*

1. Quia Christi iustitia perfecta imputatur fidelibus.

**ROM. VIII, 1.**

2. Quia, quod operibus nostris deest, suppletur sapientia benignitateque mediatoris.


*Obs.* Caussa itaque, ob quam imperfecta sunt, quaerenda est in homine, non in Deo.

**MEDITATIO.**

Quot et quanta sunt argumenta, quae animum nostrum ad sanctimoniae et bonorum operum studium incitare possint et debeant? eo enim si careamus vana est omnis aduersus deum religio, precum exercitatio, cultus diu. publicus, coenae dominicae usus et quicquid facrorum causia facere solemus, commodo caret, ideoque nullus est periculum aeternae condemnationis effugiendi modus, ita quidem ut melius foret, nos non esse natos: nam sine animi sanctimonia nemo visurus est deum. Eum enim in finem deus hominem condidit, ut ad imaginem eius conformatus sanctus fieret, perfectus et virtute praeditus. Eandemque ob causam Christus pro nobis mortuus est, ut nos redimeret a pruarum cupiditatum impetu; ut nobis spiritus s. vi emendatis bonos inspiraret sensus, nosque ad omne virtutum genus sequendum redderet idoneos. In hac animi emendati perfectione, maxima est sita felicitatis

nostrae pars; siquidem qui fiducia sua in deo posita virtutem colit, non potest non frui iucundissima animi tranquillitate, bona quaecunque sperare a deo, patre suo, per Christum sibi reconciliato, atque ab omni condemnationis formidine liberatus, laetus mortem oppetere. Constituta enim sunt recte factis non solum ea praemia, quae cum vitae honestate arctissimo nexu sunt copulata eamque in praesenti rerum statu sua sponte sequi solent; sed manent ea longe maiora et splendidiora in beata aeternitate. Agite, ad sempiternam hanc gloriam fidei et virtuti propositam adspiremus; hanc metam omnibus neruis intentis persequamur. O Deus! cui sincerum virtutis studium gratum est, adiuua nostram imbecillitatem, ut scopum vitae nostrae et omnis salutis feliciter attingamus.





## CAP. XI.

### DE VERBO DEI EIVSQUE VI ET EFFICACIA.

**Thef. I.** *In bonis motibus animorum gig-  
nendis deus vel in primis utitur veritatibus  
quibusdam, ad emendandas hominum men-  
tes aptis et efficacibus.*

E. c. deum omnipotentem, atque omniprae-  
sentem hominum nosse cogitationes, fer-  
mones et actiones, viros bonos remunerari,  
malos poenis persequi; clementem resipis-  
centibus et misericordem se praebere, ti-  
mentibus ipsum auxiliatorem benignissi-  
mum etc.

**Thef. II.** *Harum atque aliarum verita-  
tum, nec non officiorum humanorum cogni-  
tionem habebant homines antiquissimi; cum  
ex ipsa rerum atque naturae suae contem-  
platione, et experientia; tum vero ex re-  
uelatione diu.*

*Visum enim est deo, somniis, adparitionibus  
aliisque modis homines imbuere notitia ve-  
ritatum, ipsis salutarium. E. c. de restitu-  
tione humani generis per Messiam.*

Thef. III. *Hac ratione homines legis et euangelii cognitione aliqua imbuti erant, antequam scriptura s. esset consignata. Atque hoc erat verbum dei ore tenus traditum.*

Thef. IV. *Vt autem veritates, a deo vi-  
ris pietate conspicuis traditae, in perpetuam  
omnium temporum memoriam conseruaren-  
tur totique humano generi usui essent et  
commodo, deus easdem per Mosen primum,  
deinde ope aliorum virorum una cum anti-  
quissima religionis historia consignandas  
curauit. Sic verbum dei scriptum ortum  
est.*

Legenda sunt publice a iuuentute in classibus  
seholarum inferioribus (si necesse videatur)  
Capita XXXVI. et XLV. *historiae succin-  
ctae religionis reu.*

Thef. V. *Huius scripturae s. partes  
omnes sunt utiles iis, qui eas ad commodum  
suum sapienter conuertere velint.*

*Prob. 1. 2 TIM. III, 16. etc. p. 226.*

2. Experientia teste.

Thef. VI. *Diuersa autem est diuersorum  
scripturae s. locorum vis atque utilitas.*

*Prob.*

*Prob. I. 2 COR. III, 6--11.*

*2. ROM. VII. tot. VIII, 3.*

Thef. VII. *Multa scripturae s. loca sermones continent hominum, qui vel nunquam, vel certe non eo tempore, quo bosce sermones protulere, a Spiritu S. fuerunt inspirati. Eiusmodi sermonibus nullam omnino inesse vim supernaturalem, per se clarum est; licet magno commodo esse possint legentibus.*

E. c. Iudae verba ad Israelitarum proceres  
 MATTH. XXVI, 15. Verba Esau GEN.  
 XXVII, 41. similia.

Thef. VIII. *Locorum ex genere geographico atque genealogico magnus est usus*

1. et ad explicanda multa scripturae s. loca. E. c. MATTH. I. LVC. III.
2. et ad confirmandam religionis reuelatae veritatem. Nam Christum natum esse ex familia Dauidica, in oppido Bethlem, etc. ex hoc locorum genere probandum est.

*Obs.* Iudei, quibus vel in primis veteris Testamenti codex scriptus est, *insigniorum*, quam nos, inde capere poterant utilitatem.

Thef.

Thef. IX. *Historia cum antiquissimarum  
quarundam humani generis familiarum,  
tum populi Israelitici, est ipsa religionis  
reuelatae historia ideoque magni momenti;  
praetereaque perutilis*

1. ad explicanda reliqua oracula diuina.
2. ad probandam religionis reuelatae originem diu.
3. ad colligenda ex ea iustitiae, benignitatis, sapientiae omnisque prouidentiae diu. documenta.
4. Est praeterea morum doctrina exemplis descripta.
5. Continet denique ipsius euangelii semina. E. c. GEN. XII. XVII. XXVI.

Varia itaque historiae f. vis est; metienda ex veritatum, quas continet, atque lectoribus suppeditat, vi atque indole.

Thef. X. *Legis moralis doctrinarumque  
omnium, omnis generis officia tradentium,  
vis est atque utilitas insignis*

1. ad ipsa cognoscenda officia atque peccati reatum.
- ROM. III. VII.
2. ad conterrefaciendos peccatorum animos.
3. ad ciuilem iustitiam conseruandam.

4. vt inde cognoscere possimus, hominem naturalem destitui viribus satisfaciendi legibus diu. ideoque non nisi gratia saluari posse diuina.
5. vt homines regeniti de peccatis suis admoneantur atque eo magis excitentur ad omne virtutis studium.

*Obs.* Decalogus est summa totius legis, nec externas modo actiones, sed et animi sensus, cogitationes atque consilia spectat.

ROM. VII, 7. 14. etc.

Thef. XI. *Legum, ad rempublicam bene gubernandam latarum, magnus apud Israelitas erat usus, eadem et nobis aliquam praebent utilitatem.*

1. Sunt enim maxima diu. sapientiae specimen; erant nempe indolgentis Israeliticae, temporibus, locisque accommodatissimae.
2. Exempla praebent legum ferendarum imperantibus praestantissima.
3. Praeterea typos continent rerum noui Testamenti.
4. atque doctrinarum moralium semina.

Thef. XII. *Leges ad cultum dei resque sacras spectantes vim habebant et usum*

1. primo *legalem.* Commonefaciebant enim Israelitas cum de peccato, tum etiam de officiis, deo praestandis.

2. *de-*

2. deinde *euangelicum*.

a. Imagines enim continebant Messiae eiusque operis mediatorii.

b. Consolabantur animos formidine poenae conterrefactos.

*Thef. XIII.* Sunt multa scripturae s. loca, doctrinam tradentia de deo, eiusdemque sapientia, potentia, amore, benignitate, iustitia et veracitate, de resurrectione mortuorum, de iudicio extremo, de hominum salute aeterna poenisque malos post mortem manentibus; quorum omnium magna vis est, siue ad animos peccatorum salubri terrore commouendos, siue ad consolandos homines probos; qua re siue legis siue euangelii habent naturam.

*Obs.* Vociis enim euangelii significatus alter est *latior*, *strictior* alter. Indicat nimirum in nonnullis scripturae locis omnem doctrinam salutarem, a Christo eiusque legatis traditam; saepius laetum tantummodo nuntium de gratia dei, fide in Messiam obtainenda.

*Thef. XIV.* Restant veritates merae euangelicae in historiis, in prophetarum vaticiniis, in Euangelistarum Apostolorumque scriptis consignatae, quarum maxima est virtus

*virtus ad animos hominum emendandos  
nouisque exornandos viribus.*

Thef. XV. *Praeter vim, libris etiam  
humanis competentem, deo visum est, veri-  
tatis reuelatis, atque in scriptura s.  
econsignatis, indere vim aliquam superna-  
turalem, qua hominum mentes emenda-  
viribusque necessariis exornat.*

### I. Haec vis

1. non latet in nominibus verbisque *singulis*.
2. nec in tabulis Israelitarum genealogicis  
aliisque huius generis locis.
3. sed in *veritatibus*, quae ad doctrinam de  
deo, de officiis, de peccato, de redem-  
tione per Messiam, de resurrectione mor-  
tuorum, de vita atque condemnatione ae-  
terna, pertinent, atque in reliquis huius  
generis omnibus.

### II. Hanc vim supernaturalem hisce veri- tatis competere probatur argumen- tis sequentibus.

- I. Quia homo peccato corruptus viribus na-  
turalibus emendari et saluari nequit.  
*10H. III, 5. 6. etc. VI, 44. p. 201.*
- II. Homo animalis et cupidita-  
tum prauarum imperio subiectus, ani-  
mo non percipit veritates diuinitus reue-  
latas,

latas, quippe quae videantur illi absfonae; ideoque eis rite cognoscendis ineptus est. XII, 3. p. 183.

2. Quia deus in conuertendis hominibus operatur eadem vi, qua usus est in resuscitando domino nostro Iesu Christo.

EPH. I, 19. Ut cognoscatis, quanta sit vis et praestantia potentiae dei patris, exferentis se in nobis ipsi credentibus; quae quidem eadem ipsa est excellens vis atque potentia, qua operatus est in Christo, quem ex mortuis eum resuscitaret.

Adhibet autem deus ad conuertendos homines legem et in primis euangelium, quod supra comprobatum est.

3. Quia euangelium appellatur diuina vis.

ROM. I, 16. p. 171.

I COR. I, 18. Videtur quidem concio de Christo, cruci affixo, perituriis abspona; nobis autem saluandis est diuina vis atque potestas.

4. Quia boni motus ope verbi diu. in hominum mentibus nati, deo et in primis Spiritui S. tribuuntur.

I COR. II, 14. p. 239.

2 COR. IV, 4.

ROM. XV, 13.

I COR. VI, 19.

**EPIH. I, 17.** etc. **III, 16.** Rogo Deum, vt pro  
vi sua praestantissima largiatur vobis id  
beneficii, vt coroboremini per *spiritum*  
*suum* in animis vestris diuinitus emendatis.

**PHIL. II, 13.** p. 181.

**5.** Iis qui regenerantur per verbum vita et  
vis quaedam confertur supernaturalis.

**EPIH. III, 16.**

**PHIL. IV, 13.** p. 217.

**2 COR. XII, 9.** Sufficiat tibi fons meus  
erga te. Mea enim vis se cumprimis  
exferit in imbecillitate hominum.

**COL. I, 10. II.**

Atqui verbo dei virtus inest regenerandi  
animos.

**IAC. I, 18.** p. 207.

**I PETR. I, 23.** p. 186.

Si *moralis tantummodo* vis verbo dei com-  
peteret, mentes quidem regere atque ex-  
citare, non autem *nouis posset exornare*  
*viribus.*

**6.** Conuersio dicitur noua creatio, resuscita-  
tio hominis mortui, est ergo virium no-  
uarum et quidem supernaturalium collatio.

**Obs. 1.** Non operatur deus *iuxta verbum* in  
hominum animis, sed *per verbum*.

**Obs. 2.** Veritatibus salutaribus vis haec  
1. inerat antequam litteris consignatae erant.

2. inest atque se exferit in hominum mentibus, siue *legantur* in scriptura s., siue *in libris doctrinam scripturae sacrae comprehendentibus*; siue audiantur, siue *recolantur memoria*.
3. Sicuti deus operatur in et cum rebus naturalibus, modo et ordine naturali; ita operatur per verbum legis et euangelii modo et ordine supernaturali. Nam est etiam ordo, quem deus in mutationibus supernaturalibus seruare solet.

Thef. XVI. *Vt autem motus salutares vi verbi diu. excitandos animo experiamur, opus est, sedula et repetita veritatum reuelatarum consideratione, precibus, ipsa conuersione, obedientia legibus diu. praestanda.*

IOH. VII, 17.

Thef. XVII. *Licet deus operetur per verbum, tamen bisce gratiae diu. operationibus homines possunt resistere.*

1. Quia non modo *omnipotentia* deus utitur hoc in opere, sed et sapientia.
2. Quia *mediate* opus perficit.
3. Quia et in rebus naturalibus ita fieri solet.
4. ACT. VII, 51. MATTH. XXIII, 37.

*Obs.* Reliqua de scriptura s. vide sis in appendice.

## MEDITATIO.

Gratias agimus tibi pater caelestis! quod et nobis concessisti usum verbi tui in mentibus emendandis efficacissimi. Eius enim luce collustrati te tuasque summas cognoscimus perfectiones, eiusdem ope intelligimus, quot et quanta sint beneficia, quae in nos collocasti; quae tibi, quae aliis, quae nobismet ipsis debeamus; quanta nostrae naturae sit corruptio; quae animis sanandis accommodissima remedia; quam incredibilis tuus erga nos amor, quo commotus filium tuum unigenitum pro nobis tradidisti, ut nobis, tecum reconciliatis, verae felicitatis consequendae spes restauretur. Sit igitur nobis verbum tuum auro gemmisque longe carius; sit lumen in viis nostris; sit unica sententiarum nostrarum de rebus diuinis omniumque nostrarum actionum norma, ad quam universa confilia dirigentes, veram sapientiam et quae cum ea conjuncta est felicitatem affequemur.



## CAP. XII.

### DE SACRAMENTIS.

#### SECTIO I.

#### DE SACRAMENTIS IN VNIVERSVM.

Thef. I. *Voce Sacramenti varie quidem vñsi sunt auctores latini, saepius autem*

1. *Eo significabant solempne iuramentum, in primis militare. vid. GELLIVM Lib. XVI. Cap. IV.*
2. *Iureconsulti sacramentum nominabant pecuniam, a litigantibus apud pontificem max. in sacro loco depositam. In uniuersum id sacramentum appellari solebat, quod consecratum erat, nonnunquam et affio, qua aliquid consecrabatur.*
3. *Apud auctores ecclesiae christianaे sacramenti vox sumitur in primis,*
  - a. *pro iuramento, quo se obstringunt homines christiani, cum in baptismo, tum in coena s. celebranda.*
  - b. *Deinde rem sacram quamuis saepius indicat.*
4. *Doctores scholastici, qui sacramenti vocem ambiguam esse intelligerent, pro more suo*

suo de numero sacramentorum coēperunt  
subtiliter disputare ; vsque dum ab iis-  
dem numerus septenarius constitueretur.  
Sacramentorum enim nomine salutant  
baptismum , confirmationem , eucharis-  
tiam , poenitentiam , unctionem extremam ,  
ordinem , coniugium.

Thef. II. *Nos docemus , Sacra menta ,*  
*hoc est , actiones diuinitus institutas , qui-*  
*bis per usum symbolorum , cum verbo*  
*dei coniunctorum gratia diuina offeratur*  
*atque conferatur , esse tantum duo , bap-*  
*tismum nempe et s. coenam .*

*Prob.*

1. Nam *poenitentiam* agentes participes quidem redundunt gratiae diuinae : sed in actu poenitentiae seu absolutionis non est *Symbolum a Deo constitutum . quo gratia conferatur .*
- \*) Manuum impositio ad remittenda peccata , non est diuinitus instituta , sed usu et consuetudine recepta.
2. *Confirmatio et unctio extrema* non sunt a Deo institutae.
3. *Matrimonium* non confert gratiam diuinam. vid. I COR. VII.
4. *Ordo ministrorum ecclesiae* a Deo quidem institutus est , at manuum impositio , ceterique ritus ordinationis (sic dictae)

neque diuinitus instituti sunt, neque gratiam conferunt salutarem.

\*<sup>1</sup> Licet haud inficiemur viris quibusdam, in ecclesia prima doctorum munus gerentibus, intercedente impositione manum et precatione dona quaedam extraordinaria collata esse.

5. Apostoli baptisma et s. coenam ab aliis actionibus sacris sollicite distinguunt.

**I COR. XII, 13.** Etenim uno spiritu nos omnes ad unum corpus constituendum baptizati sumus, omnesque unum spiritum (in s. coena) hausimus.

**I COR. V, 7.**

**COL. II, II.**

*Obs.* Nobis religionis christiana systema breve scribentibus, de ritibus vet. testamenti pauca dicenda esse, censemus.

1. Circumcisione gratiam Dei aliquam oblatam esse Israelitis, atque fidentibus Deo collatam, omnino probari posse videtur ex eo, quod circumcisio in foedus Abrahamiticum recipiebantur, hoc ritu initiati. Foedus autem Abrahamiticum nitebatur in primis promissione Messiae futuri.

**ROM. IV, II.**

Eundem ritum Israelitas de naturali humanae naturae corruptione, atque de emendationis necessitate admonuisse ex **DEUT. X, 6.**

**IER. IV, 4.** aliisque locis patet.

2. Eo-

a. Eodem sensu et ritus, quo agnum paschalē edere solebant Israēlitae, sacramen-tum dici potest. Nam

a. Erat actio diuinitus instituta. EXOD. XII,

b. Continebat promissionem futuri Messiae.  
IOH. I, 29. I COR. V, 7. IOH. XIX, 36.

c. Nec dubium, mentes Israēlitarum, ritum hunc pie celebrantium, fide esse confir-matas, gratiaque aliqua diu. auctas et exornatas.

EBR. XI, 28.

## SECTIO II.

### DE BAPTISMO.

Thes. III. *Baptismus, a Iohanne ad-ministratus, erat sacramentum a Deo institu-tum, quo Iudei et Proselyti initiabantur eum in finem, ut apti redderentur ad Messi-am, proxime venturum, digne recipiendum.*

Prob. 1. IOH. I, 33. LVC. VII, 30.

2. ACT. XIX, 4.

Obs. 1. Baptismi vox varios habet sensus; denotat lauationem quamuis; saepius im-mersionem corporis in aquam.

Obs. 2. Erant et baptismi quidam lege ce-remoniali Israēlitis praescripti.

LEV. XII. XIV. XV.

THEF. IV. *Vnuo adhuc Iesu Christo, eius Apostoli baptismo iam initiare solebant eos, qui illius disciplinae se tradebant.*

JOH. III, 22. IV, 1. 2.

THEF. V. *Baptisma, de quo nobis hoc loco sermo est, instituit Christus post resurrectionem in usum ecclesiae universae perpetuum.*

*Prob. 1. MATTH. XXVIII, 18. etc. p. 31. et 66.*

*2. MARC. XVI, 16. Qui crediderit et baptizatus fuerit, seruabitur.*

*Negant ultimum Sociniani, Quack.*

THEF. VI. *Administrandum est baptisma*

I. Secundum ordinem consuetum a ministris ecclesiae.

1. Nam Christus hoc Apostolis iniunxit officium.

2. Usus primae ecclesiae probat, hunc fuisse mandati diu sensum.

3. 1 COR. IV, 1. Pro Christi ministris et diu arcanorum dispensatoribus nos habeant homines.

4. Deus est ordinis amans. 1 COR. XIV, 33.

II. Extra ordinem a christianorum quouis.

1. Ex consuetudine ecclesiae primae.

2. EXOD. IV, 25. per rationem similem.

THEF.

Thef. VII. *Infantes recens nati baptizandi sunt.*

*Prob.*

1. Mandatum Christi est vniuersale.

MATTH. XXVIII, 19. p. 31.

2. Infantum aequa est regnum coelorum, ac reliquorum hominum in quod per baptismum recipiendi sunt.

LVC. XVIII, 16. ION. III, 5. 6.

3. Colligitur idem ex circumcisionis natura simili.

COL. II, 11. -- GAL. III, 27.

4. Familias vniuersas ab Apostolis lauacro T. initiatas esse, saepius legitur.

ACT. XVI, 33. XVIII, 8.

I COR. I, 16.

Thef. VIII. *Signum visibile, seu materia externa ad hoc sacramentum administrandum adhibenda, est aqua, quod initiandi remedium a Deo admodum sapienter institutum est. Nam*

1. parabilis est ubiuis locorum.

2. apta ad significandam huius sacramenti vim.

EPH. V, 26. etc. Christus amauit ecclesiam seque pro ea (in mortem) tradidit, quo eam sanctam redderet aquae, cum verbo divino coniunctae, lotione purgata, ut

eam sibi praestaret gloriosam, nulla macula aut vitio confusurcatam, sed quae sancta foret et inculpata.

**3. ad indicanda initiatorum officia.**

**EBR. X, 22.** Accedamus animo integro plenaque fide et mentibus a conscientia malefactorum liberata (*abluta.*)

**EPH. V, 26.** etc.

**Thes. IX.** *Materiam seu potius rem invisibilem merito dicimus gratiam diu. baptizandis conferendam.*

**TIT. III, 5. p. p. 173.**

**Thes. X.** *Immissionem triplicem aetate apostolico iam usitatam fuisse, verosimile est.*

**Obs. 1.** Aegroti in lecto cubantes aqua tantummodo aspergi solebant.

**Obs. 2.** Ritus reliqui, in hoc sacramento administrando consueti, sensim sensimque orti, varie adhiberi solebant. Communis tamen fere consuetudinis erat, ut initiandus

1. renuntiaret diabolo et erroribus religionis, cui antea addicetus erat.

2. ut deinde aquam ingressus baptizaretur.

3. vngueretur.

4. nouis indutus vestibus osculo salutaretur.

5. lac deinde gustaret et mel etc.

Thef. XI. *Habet baptisma foederis naturam, quod init baptizandus cum Deo trinuno.*

I PETR. III, 21. Eadem ratione baptismus nos seruat, cuius vis non tam in eo est posita, vt corporis fordes abluantur, sed vt, *foedere* cum deo inito, hominis conscientia purgetur. (malefactorum conscientia ex animo tollatur).

*Obs.* 1. Est hoc foedus spirituale in locum foederis Abrahamitici suffectum.

*Obs.* 2. Testium huius foederis usus erat peculiaris in ecclesia prima, et est hodienum eorum adhibendorum consuetudo laudabilis.

*Obs.* 3. Impositio noui nominis ex summa antiquitate repetenda est. GEN. XVII, 5. etc. LVC. I. IOH. I, 42.

*Obs.* 4. Exorcismi sensus est allegoricus. Indicat factum esse per Iesum Christum, vt e spiritus maligni potestate parvulus liberaretur.

Thef. XII. *In baptismo celebrando verba institutionis adhibenda sunt.*

*Prob.* 1. MATTH. XXVIII, 19.

2. Ex usu ecclesiae primae.

Thef. XIII. *Homini cuius malitiose et pertinaciter Spiritus S. operationibus non resi-*

*resistenti per baptisma gratia diu. aliqua siue confertur, siue confirmatur.*

1. Nam ex aqua et spiritu, (i. e. baptismo) *renasci* dicuntur homines.

JOH. III, 5. 6. p. 104.

2. Per baptismum peccatorum remissio confortur.

ACT. XXII, 16. Age dum, baptizare, et tua peccata finas abluere. Vide in primis EPH. V, 26. 27. p. 249.

3. TIT. III, 5. 6. p. 250.

*Obs.* Cum itaque infantes animo pertinaci et mala voluntate spiritui s. reluctari nequeant, quippe qui rationis vsu destituti sunt; inde colligitur, in eorundem animis vi spiritus s. per baptismum salutarem mutationem produci posse aliquam, cuius mutationis indoles similis sit ei, quae in adultis per verbum dei auditum et intellectum gignitur.

### MEDITATIO.

Quanta cura, quam paterno amore Deus nos a primis statim incunabulis fouit et semper amplexus est? nati cum essemus peccati labe contaminati, reatum omnem et culpam, a parentibus in nos deriuatam, ob Christum Iesum a nobis abstulit; salutari spiritus s. opera bonas genuit in animis nostris motus totamque nostram lustravit naturam sibique arctiori vinculo coniunxit, Quid igitur magis curi cor-

cordique nobis esse debeat, quam ut ne tot ac tantis beneficiis in nos collatis morum prauitate et mala peccandi consuetudine nos ipsos reddamus indignos? Spondeamus itaque denuo atque saepius sancte promittamus deo, quae alii nomine nostro olim promiserunt, cum facro fonte initiaremur: Tibi o potens auctor vitae et omnis salutis nostrae, tibi o diuine redemptor et spiritui s. fit dicata anima, corpus, et tota natura nostra; te omni, qua possumus, pietate colemus; tuis legibus, quantum quidem in viribus nostris situm erit, promptum praestabimus obsequium; te, summum bonum, maxime desiderabimus atque in te et ysu amoris tui nostram quaeremus felicitatem. Qui hanc nobis largitus es bonam voluntatem, o Deus clementissime! da nobis et vires ad propositum persequendum sufficietes!

## SECTIO III.

## DE SACRA COENA:

Thef. XIV. *Sacra coena est actio sacra, diuinitus instituta, celebranda ab ecclesia usque ad finem saeculi.*

*Probatur*

1. verbis institutionis: *hoc facite* etc.
2. I COR. XI, 25. Quoties hoc pane vescemini et hoc poculum bibetis, mortem domini celebrabitis, *donec veniat.*

*Obs.*

*Obs.* Sacrae coenae nomina varia sunt in novo Testamento et libris auctorum ecclesiasticorum in obuia. Κυριακὴ δεῖπνον, I COR. XI, 20. τράπεζα κυρία, I COR. X, 16. etc. εὐχαριστία, σύναξις ἀγια, μυστήριον, liturgia, sacrificium, communio, sacramentum altaris, missa etc.

*Thef. XV.* *Res visibles, ad sacram banc actionem celebrandam adhibendae, sunt panis et vinum.*

I. *Pane nos utimur azymo.*

A. Non quod ita necessarium fit;

B. Sed

1. quia Christus in s. coena instituenda fermentatum adhibuit panem.

2. quia consuetudinem innoxiam abrogare noluerunt ii, penes quos potestas erat sacra purgandi.

II. *Vino utimur mero, licet aqua temperatum etiam adhiberi posse concedamus, quod in ecclesia fieri solet graeca et romana.*

*Thef. XVI.* *Natura panis et vini in celebranda s. coena non mutatur, sed manet eadem, quae antea fuit.*

Nam

1. omnium fere hoc comprobatur sensuum fide et testimonio.

Sen-

Sensibus autem si diffidas, actum est de  
vniuersa religionis veritate et certitudine  
Ioh. I, 2.

2. Nominat apostolus symbola consecrata pa-  
nem et vinum.

I COR. X, 16. Poculum (vinum) enim bene-  
dictum, cui benedicimus, nonne communio  
est sanguinis Christi, *panis*, quem frangi-  
mus, nonne is est communio corporis  
Christi.

3. Panis consecratus putredine corrumpitur,  
vinum acefscit.

*Tenendum hoc est contra Pontificios. (\*)*

Thef. XVII. *Cum edentibus panem vni-  
tur corpus Christi, cum bibentibus vinum  
vnitur sanguis Christi, eo ipso tempore, quo  
edunt et bibunt, et intercedentibus hisce  
symbolis, ita ut vescentes et bibentes vere  
participes reddantur corporis et sanguinis  
Iesu Christi.*

Hanc ecclesiae Lutheranae doctrinam, vt  
probe intelligamus, dicendum prius de modo  
praesentiae corporis et sanguinis Christi;  
deinde

(\*) Nata est doctrina de transubstantiatione panis  
et vini in sc. coena sensim sensimque inde a sae-  
culo IX. confirmata MCCXV. in Concilia Late-  
ranensi.

deinde de ratione et indele vnionis, quā  
f. coena vtentes coniunguntur cum Chri-  
sto; tandem doctrina nostra firmis pro-  
banda est argumentis.

I. Triplici potissimum ratione Christus θεός  
*Θεωπος* praesens esse potest rebus creatis.

A. Vi et vsu omnipraesentiae *diuinæ na-*  
*turæ* propriae.

B. Ratione *naturali*, qua in loco inclusus  
et circumscriptus hominibus olim in ter-  
ris, iam coelitibus praesens est.

C. Modo quodam praesentiae, quae huma-  
nae naturae competit, quia cum diuina  
natura vnam efficit personam. vid. Cap.  
de Christo. Secundum hunc praesentiae  
modum supernaturalem adest vtentibus f.  
coena, cum illis unitur, atque in eos ope-  
ratur immediate.

II. In f. coena celebranda homines christiani  
duplici ratione cum Christo vniuntur.

a. *regeniti per fidem*, vnone mystica, quod  
solum concedunt Reformati.

b. *omnes f. coena vtentes*, probi et improbi  
peculiari quadam operatione Christi, seu  
*sacramentaliter*, per *vsum symbolorum*  
carnis ipsius et sanguinis diuersi mode qui-  
dem participes redduntur, *cum pane ves-*  
*cuntur et vinum bibunt*, quod Reformati  
negant.

III. Atque Christum modo quodam supernaturali in f. coena *vere adesse*, atque per usum symbolorum cum vescentibus et bibentibus vniiri, vnionis genere, quod descripsimus, tertio, (num. C.) hoc probatur

1. Verbis, quae fundamentum f. coenae eiusque institutionem, continent:

*τέτο ἐσι τὸ σωμα με.*

*τέτο ἐσι τὸ αἷμα με.*

Haec enim verba impropre intelligi eam ob caussam non possunt

- a. Quod ii, qui testamenta faciunt, et qui foedera pangunt, impropre loqui non solent.
  - b. Quia Apostolorum et Euangelistarum nullus sensum, qui in his verbis latere dicitur, impro prium, explicuit, quod profecto fecissent, si intelligenda fuissent impro prius.
  - c. Quia nulla plane ratio adest, ob quam a sensu verborum proprio recedendum sit.
2. Agnus paschalis typus erat Christi eiusque corporis atque sanguinis. Sicuti qui carnem agni paschalis edebant, vere vniabantur et inter se et cum eadem carne: ita qui f. coena vtuntur vere vniuntur et inter se et cum vna eademque carne cum corpore Iesu Christi. Nam in vet. Testamento typi erant, in nouo res ipsa.
- EBR. IX. X. COL. II, 16. etc.

R

3. Quod

3. Quod et confirmatur verbis Paulli 1 COR. X, 16. 17. Huius enim loci sensus hic est: omnes, qui sacra coena vtentes, panem edunt consecratum et vinum bibunt, vſu horum symbolorum *participes redduntur corporis et sanguinis Christi*.
4. Corporis Christi rei non fierent hypocritae, si praeter panem et vinum in f. coena acciperent nihil. 1 COR. XI, 29. Qui indigne comedit et bibit, damnationem ipſe ſibi comedit et bibit.
5. Si corpus domini in hoc ritu celebrando distinguendum eſt a cibo profano et vulgari, ſequitur, vt edendo participes redamur corporis Iefu Christi. 1 COR. XI, 29. Quia non diſcernit corpus Christi, (a quo uis nempe ciborum genere alio.)

*Obſ.* Extra vſum f. coenae, nulla eſt symbolorum, panis et vini, cum corpoſe Christi communio.

*Theſ.* XVIII. *Corpus et sanguis Christi dici quidem ſolet et potest ore ſumi, ſed non immediate, nec physice, ſed alia, qua id fieri potest, ratione.*

Sicuti cibus et potus coniungitur cum corpoſe edentium et bibentium per ipsam actionem, qua edunt et bibunt; ſic Christus

stus coniungitur cum iis, qui s. coena vtuntur, per symbola et ipsam actionem, qua edunt et bibunt, ratione, qua id fieri potest. Fieri autem non posse, vt Christus se modo singulari coniungat cum hominibus, mediante actione aliqua, quantum nos quidem scimus, adhuc probavit nemo.

*Obs.* Q V E N S T E D "illa (panis et vinum) immediate, naturaliter, (sumuntur) haec (corpus et sanguis Christi) mediate, mediante scil. externo symbolo supernaturali et caelesti plane modo , In Syst. P. IV. Cap. VI. p. 204. n. IV. vide etiam p. 209. n. VIII. "nos statuimus modum manducationis (seu coniunctionis) inuisibilem, spiritualem, mysticum, incomprehensibilem. Loquendi ratio doctoribus ecclesiae euangelicae consueta, *in, cum et sub* pane, ex hac obseruatione est explicanda.

Thef. XIX. *Nec separatur corpus et sanguis Christi in s. coena. Unitur nobiscum Christus viuus dupli ratione, secundum carnem et sanguinem, seu secundum humanam naturam diuinam unitam.*

*Obs.* Q V E N S T E D l. c. p. 210. n. XII. "Cum modus, inquit, praesentiae corporis et sanguinis Christi in s. coena sit mysticus, supernaturalis et caelestis. nulla hic fingenda corporis et sanguinis Christi car-

nalis separatio,, item ibid. n. XIV. "Nulla distractio metuenda est eo cibo, qui praesens est *praesentia diuina.*,"

Thef. XX. *Nec multiplicatur corpus Christi in s. coena, sed unus et idem Christus unitur cum omnibus (\*), qui s. coena utuntur, per usum symbolorum.*

*Obs.* Q VEN STED l. c. p. 198. n. III. "Sicuti unio mystica totius Christi cum singulis fidelibus (Ioh. XIV, 23.) Christum non multiplicat, ita unio sacramentalis corporis Christi cum communicantibus corpus non multiplicat.

Thef. XXI. *Ad ipsam actionem, qua hoc sacramentum celebratur, pertinet, ut i. precibus panis et vinum ad usum s. confarentur.*

- a. Quia est haec actio religiosa.
- b. Quia Christus sic fecit praecepitque, ut idem faciamus.

i. COR. X, 16.

2. ut, qui s. coena utuntur, panem edant, vinum bibant.

3. ut celebrent memoriam Christi atque beneficiorum hac morte humano generi partorum.

MATTH. XXIV, 50. Ioh. XIV, 3. i COR. XI, 26.

*Obs.*

(\*) Etiam irregenitis, sed diversa ratione. i COR. XI, 27.

*Obs.* 1. Qualem habeat panis formam, qualem vinum colorem etc. nil refert.

*Obs.* 2. Siue frangatur panis, siue totus porrigitur, nihil interest. Nam dentibus frangitur, si non manibus. Nec magis ad partes huius sacramenti necessarias pertinet fractio panis, quam siue tempus, siue locus, quibus celebratur.

Thef. XXII. *Vinum sicuti panis omnibus est porrigendum s. coena vtentibus.*

Quia

1. Christus vtrumque dedit omnibus,
2. Quia omnia ecclesiae corinthiacaे membra acceperunt vtrumque.

I COR. XI, 26. X, 21.

3. Quia constans haec fuit et perpetua consuetudo ecclesiae per decem saecula.
4. I COR. XII, 13. p. 246.
5. Verba Christi sunt foederis verba, a quibus recedere nefas est.

In ecclesia *romana* sacerdotibus tantum licet vti vino benedicto, quae consuetudo obtinuit saeculo post Christum n. decimo tertio, publicis suffragiis confirmata est MCCCCXV. in Concilio Constantiensi. Historiam originum *Missae pontificalis* vide in Historia succincta religionis reuelatae Cap. LIII, p. 278.

262 DOCTR. CHRIST. CAP. XII. SECT. III.

Thef. XXIII. *Non nisi adultis licet hoc vti sacramento.*

*Prob.*

1. Quia infantes explorare animum suum nequeunt.
2. Quia corpus Christi eiusque sanguinem non possunt discernere.

Ecclesia graeca paruulis etiam f. coenae usum concedit.

Thef. XXIV. *Vt saluti nobis sit huius sacramenti usus, animi in primis exploratione et praeparatione opus est, cum propter rei gravitatem, tum ob mandatum apostoli.*

I COR. XI, 27. 28. Explorez homo se ipsum, atque sic demum de pane hoc edat atque bibat de vino; qui enim indigne etc.

*Obs.* Exploranda est et fides et vitae ante actae conditio. Praeparandus est animus poenitentia, precibus, piis meditationibus; et ieiunii aliqua ad rite conformandum animum vis est.

Thef. XXV. *Finis huius actionis sacrae non est, vt nouum deo offeratur sacrificium.*

Nam

x. semel

1. semel Christus se obtulit.

EBR. IX, 26. Semel sub saeculorum exitu  
(Christus) ad abolendum suo sacrificio  
peccatum, passus est.

2. Nec panis in corpus Christi mutatur, vt  
offerri possit.

*Contra Pontificiorum doctrinam de sacrificio  
missatico.*

Thef. XXVI. *Finis huius sacramenti est,*  
vt deus celebretur, qui filium suum dedit  
pro nobis vnigenitum, vt memoria mor-  
tis Christi piis laudibus recolatur, vt ani-  
mus hoc beneficio rite vtentis in fide  
confirmetur, atque de peccatorum remis-  
sione certior fiat, vt cum Christo, eccle-  
siae capite, eius membra coniungantur  
arctissime, vt fideles inter se magis ma-  
gisque vniuantur, vt de amore erga deum  
et alios admoneamur atque ad exsequen-  
da officia reliqua reddamus alacriores, vt  
spe erigamur laetissima futurae felicitatis.

Ex quo patet, quot et quanta sint emolu-  
menta, quae ex huius sacramenti vsu redun-  
dent iis, qui mente bene praeparata accedant.  
Vt ideo superflua esse videatur quaestio: *qua-*  
*ies hoc beneficio diu. vti debeamus?*

## MEDITATIO.

Diuine redemptor! qui vi et potentia tua omnia conseruas et diriges, teque praesentem potes fistere, vbiunque velis; fac ut, omni dubitatione ex animis nostris remota, tuis simpliciter fidem habeamus verbis, quibus promisisti, te nos singulari quadam ratione tui participes redditurum, si pro eo ac iussisti ad tui nominis laudem et in tuam memoriam symbolis consecratis rite vtamur. Serui tui sumus sanguine tuo pretioso redempti. Decet seruos facere heri mandata quamvis mirabilia et captum eorum superantia. Simplex eiusmodi et pium obsequium et nos tibi praestabimus; tu vero facies, quod promisisti. Ea modo cura nostra sit maxima, ut ad sacrum hoc epulum mente accedamus bene praeparata; ut illud frequentantes tui nominis laudes et mortis memoriam ore et animo rite celebremus; ut denique vita et morum sanctitate te semper colamus: ne tanto indigni sumus beneficio, neue praestantissima naturae humanae medicina mortem nobis paremus et aeternam condemnationem.

CAP.



## CAP. XIII.

### DE ECCLESIA DIVERSISQVE ORDINIBVS HOMINVM EANDEM CONSTITVENTIBVS.

#### SECTIO I.

##### DE ECCLESIA.

Thef. I. *Homines christiani regeniti omnes vniuersi sunt corporis instar cum Christo capite suo ideoque et inter se tanquam corporis vniuersi membra. Quamobrem coetum quendam sanctorum constituunt, arctissime vnitorum, quem scriptura s. ecclesiam appellat.*

*Obs. 1.* Vox ecclesiae ex usu loquendi veteris testamenti deriuanda; hebr. קְהֵלָה, κοινωνία, ἐκκλησία. EXOD. XVI, 1. LEV. IV, 15. IOS. VIII, 35. In libris N. Testamenti huius vocis sensus duplex est; 1) indicat coetum regenitorum, EPH. V, 27. 2) coetum eorum, qui Christo nomen dederunt. 1 COR. XIV, 4. 28. ACT. XII, 1.

*Obs. 2.* Haec ecclesia seu coetus hominum sanctorum dicitur subinde corpus Christi, templum Dei, 1 COR. XII, 12. EPH. I, 22. 23. 1 COR. III, 16.

*Obs. 3.* Appellatur et *inuisibilis* ecclesia, quia fides et bona regenitorum animi conditio in sensus non cadit.

**Thef. II.** *Haec inuisibilis ecclesia est Una;* quia vnum regeniti cum Christo corpus constituunt; est *santa*, ob sanctitatem capitis, et membrorum; est *uniuersalis* seu *catholica*. Quia in omnibus christianorum coetibus, qui baptismum incorruptum seruarunt et doctrinam deo trinuno et saluatore Iesu Christo, homines exsistunt regeniti.

**Thef. III.** *Omnes praeterea, qui Christo nomen dederunt eiusque religionem profitentur, hoc professionis vinculo aliquatione uniti sunt, atque hanc ob causam coetus omnium christianorum, in his terris degentium dicitur Ecclesia visibilis.*

MATTH. XIII, 24. etc. XVI, 18.

*Obs.* Eadem et *militans* appellatur, coetus autem beatorum in coelis *triumphans*.

**Thef. IV.** *Quia multae de rebus s. controuersiae inter Christianos mature subortae sunt, factum inde est, ut in diuersas abirent partes, pluresque formarent coetus; Hoc modo ecclesiae visibiles natae sunt particulares, quarum aliae*

funt

sunt *falsa* et *haereticae*, eae nimirum, quarum doctores articulos fidei fundamentales adeo peruerse tradunt, vt ipsum salutis fundamen-tum, fidem in deum trinunum et Iesum Christum labefactent: aliae sunt *ecclesiae christianaे verae*, quia doctrinam de deo trinuno et Iesu Christo hominum salua-tore maximam partem intemeratam ser-uant, praetereaque baptismi sacramentum rite administrant. Quarum genus duplex est. Quaedam enim in doctrinis religio-nis christianaे principalibus explicandis non omni ratione scripturae s. consen-tiunt, has *corruptas* appellamus. E. c. Romana. Quaedam cum in fidei et morum doctrina, tum in sacramentis cele-brandis verbum dei accurate sequitur, ideoque digna est, vt *ecclesiae verae pu-raeque* nomine salutetur.

Thef. V. *Atque haec ecclesia vera at-que pura vnica tantum est; sancta, ob-doctrinam in primis; apostolica, quia tra-dit apostolorum doctrinam. Eamque ob-rationem dici potest antiquissima.*

IOH. VIII, 31. ACT. II, 42. EPH. II, 20.

*Obs.* Notae, quibus, ecclesia vera atque pu-ra ab aliis discernitur, sunt 1) doctrina verbo dei conformis, 2) legitima sacra-mentorum administratio.

Thef.

Thef. VI. *Christus nullibi praecepit, vt ecclesia sua rectori seu capiti vnico subiicitur, voluit potius, vt singuli apostoli in rebus s. parem haberent potestatem.*

LVC. XXII, 25. *Gentium reges dominantur, quique eis imperant Euergetae (\*) potentes cognominantur; vos autem non ita. Quin vestrum maximus perinde sit ac minimus.*

## SECTIO II.

### DE MINISTERIO ECCLESIASTICO.

Thef. VII. *Ministri ecclesiae sunt homines legitime vocati atque solemniter iniciati, quibus officium demandatum est, docendi verbum dei, sacramenta administrandi atque singulorum coetuum, quibus praefecti sunt, saluti prospiciendi.*

Thef. VIII. *Vult deus, vt sit ordo quidam doctorum ecclesias singulas gubernantium. Statim enim sub reipublicae christianaे initiis ab apostolis constituti sunt in omni coetu christiano presbyteri seu Episcopi.*

I. TIT. I, 5. *Ego te idcirco in Creta reliqui, vt reliqua componas et oppidatim seniores constituas, vt ego tibi praecepi.*

(\*) proprie benefici etc.

2. 1 TIM. III. tot.
3. EPH. IV, 11. Christus apostolos, et vates, et euangelistas, et pastores doctoresque constituit.
4. ACT. XX, 28. p. 192.
5. Vt doctores constituantur, requirit ipsa ecclesiae natura et ordo necessarius.

Thef. IX. *Vt quis hoc doctoris officium rite subeat, vocatio necessaria est.*

1. Quia ordinis ratio habenda est.
2. ROM. X, 15. Quomodo euangelium praedicare possunt, nisi sint legati?
3. Quia sic ab apostolis est constitutum et obseruatum.

Thef. X. *Solennis ministrorum ecclesiasticorum initiatio, quam ordinationem vocant, expressis quidem verbis a deo non est mandata, at utilis tamen atque propter usum et consuetudinem Apostolorum, auctoritate quadam praedita.*

1 TIM. IV, 14. 2 TIM. I, 6. ACT. XIII, 3. VI, 6.

*Obs.* Huius ritus est vis et utilitas aliqua ad aedificandum populum atque ad commouendum ipsius ministri initiandi animum munerisque grauitatem adumbrandam.

Thef,

Thef. XI. *Vocandus ad munus sacrum nemo est, nisi notitia rerum s. probe instrutus et pietate in primis conspicuus.*

1. 1 TIM. III. TIT. I, 6. etc.

2 TIM. II, 19. etc. V, 22. PSAL. I, 16.

2. ROM. II, 21-24. ob scandalum euitandum.

3. Ne ecclesia detrimentum inde capiat et idem respublica.

Thef. XII. *Si vero acciderit, vt homo irregenitus munere s. admoueatur, mala animi sui conditio non obstat, quo minus verbum dei ad aedificationem aliorum rite explicare atque sacramenta ita administrare possit, vt effectum habeant salutarem.*

*Prob.*

1. Nam verbi diu. et sacramentorum efficacia non pendet a dignitate administrantis.  
ROM. I, 16. p. 171.

2 PHIL. I, 16. et 18. Sunt, qui doctrinam de Christo aliis exponant non commoti sincero animi in deum studio, sed quia homines sunt contentiosi. Nil refert; si modo Christi doctrina publicetur.

3. Dona ad verbi diu. praedicationem necessaria et ministro conferri possunt irregenito.  
MATTH. VII, 22.

4. Experientia teste.

Thef.

Thef. XIII. Ceterum ministris ecclesiae praeter iura ciuium reipublicae singularia alia quaedam competit, in reliquis autem ad praestanda quaevis ciuis boni officia obligantur.

I. Iura ministrorum ecclesiae in ciuitatibus diuersis diuersa sunt.

II. Officia boni ciuis ministris ecclesiae praestanda esse, ex eo patet, quod

1. Christi regnum spirituale reipublicae iura non tollit.

IOH. XVIII, 37.

2. ROM. XIII, 1. 2. IOH. XIX, II.

MATTH. XVII, 27.

Thef. XIV! Potestas ligandi atque soluendi peccatores competit quidem ministris ecclesiae, sed non eadem ratione, ac olim apostolis.

I. Late patuit potestas, quam Christus apostolis tradidit verbis.

MATTH. XVIII, 18. Quaecunque ligaueritis, in terris, ligata sint in caelis; quaecunque in terris solueritis, soluta sint in caelis.

Christus enim ratione loquendi hebraica indicat se tradere apostolis ius et potestatem abrogandi leges ecclesiasticas et nouas condendi, quid purum et impurum, iustum et

*et iniquum, licitum, illicetum sit, declarandi, recipiendi in rem publicam s. ciues nouos et malemorigeros exterminandi non modo, sed et poenis afficiendi etc.*

Hac potestate usus est.

I. PETRVS ACT. V, 5. etc.

2. Apostoli et reliqui ecclesiae antistites ACT. XV.

3. PAVLLVS, 2 TIM. I, 20.

II. Ius recipiendi ciues nouos in ecclesiam et excludendi peccatores est ius, quod competit ecclesiis singulis, non membris. Quod probatur

1. 1 COR. V, 13. Aufferte vos ipsi malos de medio vestrum.

2 COR. II, 6 .. 10.

2. Quia in primis necessaria haec potestas est ad puritatem ecclesiae conseruandam.

III. Hoc ius exercet ecclesia ope magistratus politici atque ministrorum ecclesiae.

#### A. Haec potestas ligandi

1. *sensu latiori* est in eo, ut reatus peccatorum morosis peccatoribus declaratur, siue publice, siue priuatim.

2. *sensu strictiori* est posita in exclusione scandalosi er pertinacis peccatoris.

#### B. Potestas soluendi

I. sen-

1. *sensu latiori*, in eo, vt remissio peccatorum, hominibus salutis ordinem ingressis declaretur, siue *publice*, siue *priuatim*.
2. *sensu strictiori*, in solemnis peccatorum emendatorum in ecclesiae communione receptione.

## SECTIO III.

## DE MAGISTRATV POLITICO.

Thef. XV. *Magistratus politicus a deo est constitutus ideoque et licet homini christi munere fungi ciuili.*

ROM. XIII, 1. Magistratibus omnes pareant homines. Nullus est enim magistratus, qui non sit constitutus a deo, quippe a quo omnis pendet imperandi potestas.

1 TIM. II, 1. 2. Exhortor igitur primum omnium, vt fiant supplicationes, preces, intercessiones, atque gratiarum actiones pro cunctis hominibus; pro regibus et pro omnibus potestate pollutibus, vt tranquillam quietamque vitam agamus in omni pietate et honestate.

Thef. XVI. *Quamuis reipublicae magistratus sacris sit addictus aliis, quam subditi, siue infidelis omnino sit et vitiis deditus, nihilominus obsequium ei praestandum est.*

S

Prob.

*Prob.* per loca scripturae s. in Thesibus praecedentibus probandis, allegata.

Thef. XVII. *Licet magistratui male morigeros poena afficere capitali, atque bella gerere.*

I. patet hoc ex locis antea allegatis.

2. ex ipsa rerum publicarum natura et indole.

Thef. XVIII. *Homines haeretici coerendi quidem, sed eam ob caussam, quia de rebus s. aliter ac ceteri homines sentiunt, mortis poena non sunt afficiendi.*

I. Primum probatur ex eo, quod incumbit magistratui officium saluti ciuium propiciandi.

II. Secundum patet

1. ex MATTH. XIII, 30. *Sinite ambo (frumentum et malas herbas) crescere usque ad messem.*

2. ex eo, quod magistratus christiani est conseruare animas, non perdere.





## CAP. XIV.

### DE MORTE, RESVRRECTIONE, IVDICIO EXTREMO, VITA ET CONDEMNATIONE AETERNA.

---

#### SECTIO I.

##### DE MORTE NATVRALI.

Thef. I. *Mors naturalis est mutatio corporis ea, qua ineptum redditur coniunctioni cum anima continuandae; seu, qua sit, ut corpus ab anima separatum in putredinem abeat.*

Thef. II. *Per mortem naturalem anima ita separatur a corpore ut in alium plane locum transferatur.*

PHIL. I, 23. *Morte abhinc discedere quidem cupio ac cum Christo esse, nam id mihi multo esset melius.*

Thef. III. *Mors hominum irregenitorum poena rationem habet.*

1. Quia ob peccatum mortis poena hominum generi irrogata est. Homines autem irregeniti omnes peccatorum suorum poenas subeunt. vid. Cap. de peccato.

2. Quia per mortem irregenitorum animae in locum damnatorum transferuntur.

LVC. XVI, 23.

Thef. IV. *Hominibus regenitis mutatio ea, quam morientes subeunt, in beneficiis maximis ponenda est; ergo poenae formam non habet.*

1. Quia per Christum ab omnibus peccatorum poenis liberati sunt.

IOH. XI, 25. Ego sum resurrectionis et vitae auctor, qui in me credit, etiam si mortuus fuerit, reuiuiscet; et quisquis viuit, et in me credit, numquam moriturus est.

EBR. II, 14. p. 81.

2. Quia omnibus miseriis exantlatis per mortem in locum beatorum transeunt.

PHIL. I, 23. p. 275.

*Obs.* Ideoque haec hominum proborum mutatio in scriptura s. iis describitur loquendi formulis, quae non poenam, sed beneficium indicant. E. c.

IOH. XI, 11. Lazarus amicus noster obdormivit; sed ego ad eum expergefacionem vado.

1 REG. II, 10.

ACT. VII, 59.

2 COR. V, 2. etc.

GEN. XXXV, 29.

Thef.

Thef. V. *Mortis necessitati post lapsum subiecti sunt omnes homines, peccatores nati.*

ROM. V, 12. p. 87.

*Obs. 1.* Eliam etiam, quum in caelum transferretur, mutationem quandam subiisse, certum est.

*Obs. 2.* Mortis genera duo potissimum a doctribus numerantur, *naturale* et *præternaturale*.

Thef. VI. *Anima post mortem manet sui conscientia.*

1. PHIL. I, 23. p. 275.

LVC. XXIII, 43. Hoc tibi confirmo, te hodie fore mecum in paradiſo (verba Iesu ad latronem.)

2. LVC. XVI, 22. etc.

3. 2 COR. V, 1--7. Mallemus ab corpore absesse et in domini confortio collocari.

Thef. VII. *Pie defunctorum animae post mortem igne purgandae non sunt.*

1. 1 IOH. I, 7. -- ROM. VIII, 1. 32. p. 146.

2. 1 IOH. II, 2. p. 157.

3. ROM. V, 1. p. 213.

4. LVC. XVI, 22. -- 2 COR. V, 6.

5. MARC. XVI, 16. p. 172. IOH. III, 18.

6. APOCAL. XIV, 13. Beati sunt mortui qui moriuntur (fide coniuncti cum) domino; ii deinceps, id quod spiritus affirmat propheticus, a suis requiescent laboribus et sua eos comitantur opera.

Haec tenenda sunt contra doctrinam ecclesiae romanae de purgatorio, de quo plura vide in Historia relig. reu. succincta Cap. Llll. p. 279.

### MEDITATIO.

Luculentum profecto diuinae benevolentiae erga nos documentum in eo cernitur, quod animae nostrae permisum est, relictis huius corporis vinculis in beatorum euolare sedes et ad meliorem peruenire fortunam. Quamquam enim permulta habeat haec vita, quorum sensus delectare nos possit et vitae diuturnioris desiderium alere: verum tamen est et certum, quod vel homo gentilis vedit aliquando et scripsit: *vestra* (in terris) *quae dicitur vita, mors est* (\*). Nascimur enim ut moriamur. Deinde quamdiu his in terris versamur, natura nostra peccato manet contaminata; ubi autem peccatum est, ibi mors, peccati stipendum. Quot et quantae sunt vitae huius miseriae atque aerumnae, quibuscum nobis est luctandum? Quot corporis cruciatibus, morbis et casibus sumus expositi? quibus tandem accedunt aetatis senitis debilitas atque incommoda multa. Gratias ideo agimus tibi, o Deus clementissime! nomenque tuum collaudabimus in aeternum,

quod

(\*) Cicero in Somnio Scipionis Cap. III.

quod *mortis beneficium* nobis concessisti. Inde nos modo ea sapientia, ut bene mori sciamus. Dirige mentes nostras fide sanctificatas, in virtutis via, ut quotidie firmus bene praeparati ad comparendum coram tribunali tuo; ne terribilis fit nobis extrema naturae nostrae mutatio, sed grata et iucunda; ut corpore tandem laxati veram incipiamus vitam omnis mali expertem.

## SECTIO II.

## DE RESVRRECTIONE MORTVORVM.

Thes. VIII. *Est resurrectio mortuorum in eo posita, ut corpora morte dissoluta ex suis seminibus restituta cum anima denuo vniantur.*

Resurrectionem eiusmodi corporum certo futuram esse, probatur

1. IOH. V, 28. 29. Venit tempus, quo omnes, qui inerunt in monumentis, audient vocem filii dei et prodibunt, qui bona fecerint, ut ad vitam resurgent beatam, qui vero vitiis se contaminauerint, ut ad supplicium resurgent.

2. IOH. XI, 25. p. 276.

3. I COR. XV, 42. 43. Seritur (corpus humanum) mortale, resurget immortale; seritur in conditione ignominiosa, resurget cum gloria; seritur infirmum, resurget vi et potentia praeditum.

4. IOB. XIX, 26. Evidem scio redemptorem meum viuere illumque tandem super puluere (meo) constitutum iri. (ad me resuscitandum) Et licet cutis mea corrofa fuerit; ego tamen ex corpore meo videbo deum, *ego quidem ipse illum videbo et meis ipsius oculis non aliis, illum video.*
5. DAN. XII, 2. Multique eorum qui obdormierint humatique fuerint, expurgiscentur, alii ad vitam aeternam, alii ad decus et ad misericordiam sempiternam.

Thef. IX. *Est quidem mortuorum resuscitatio opus dei trinunius, sed administrandum a Christo Θεῳ Δρόπωντι. Tribuitur*

1. Patri, 1 COR. VI, 14. Deus et dominum (Iesum Christum) fuscitauit; et vos fuscitabit per eius potestatem.
2. Filio, IOH. V, 21. Sicuti enim pater mortuos fuscitat ac viuificat; sic etiam filius, quos vult, viuificat.
3. Competit Spiritui S. quia est opus, quod extra diuinitatem peragitur.

Thef. X. *Resuscitabuntur omnes, qui erunt sub terra, oriente die extremo.*

IOH. V, 28.

*Obs.*

*Obf.* Reliqui homines viui, apparente Christo ad iudicium extremum, mutationem quan-dam subibunt subitaneam, necessariam ad id, vt caelum ingredi possint.

I. I THESS. IV, 15. Hoc enim vobis dici-mus verbis, quibus dominus noster usus est, fore, vt nos, qui ad domini aduen-tum viui supererimus, non praecedamus eos, qui mortui fuerint, sed mortui in Christo primum resurgent, deinde et nos viuentes vna cum iis rapiemur in nubi-bus obuiam domino.

Thef. XI. *Viuum restituetur idem cor-pus, quo in hac vita praediti fuerunt ho-mines.*

### I. Idem eorum

1. quod ad partes *quasdam*, non *omnes*.

I COR. XV, 51. Equidem arcanum quid-dam vobis dico: omnes quidem non moriemur, sed omnes mutabimur uno temporis puncto oculique momento.

2. quod ad formam, quae tamen priori praefantior futura est; probatur ex l. c.

II. Argumenta potiora, quibus probatur *idem* corpus, quod vita praeditum erat, aliquando in vitam restitutum iri, sunt sequentia:

282 DOCTR. CHRIST. CAP. XIV. SECT. II.

1. Christus inquit, *eos in vitam reuocatum iri, qui in sepulcris sint.*

IOH. V, 28. p. 279.

2. idem corpus, quod sanctificatum est.

ROM. VIII, II. Quod si spiritus eius, qui Iesum ex mortuis suscitauit, habitat in vobis, is qui Christum ex mortuis suscitauit, vestra etiam corpora mortalia reuocabit in vitam, eam ob rationem, quod habitat in vobis ipsius spiritus.

3. Christus corpus nostrum *mutabit*, denuo formabit, non creabit nouum.

PHIL. III, 21. Qui humile nostrum corpus sic transfigurabit, ut eandem cum eius glorioso corpore habeat formam.

Thef. XII. *Erunt corpora hominum, in vitam restituta,*

1. natura quadam subtiliori praedita.

1 COR. XV, 42. p. 279.

2. immortalia. ibid.

3. aptiora ad suscipienda opera utilia.

4. non comparata ad procreandam sobolem.  
MATTH. XXII, 30. Post resurrectionem nec viri ducent vxores, nec foeminae nubent; sed diuinorum angelorum similes erunt.

*Obs.* Corpora glorificata cibisne nutrienda, an minus? non liquet.

Thef.

Thef. XIII. *Resuscitabuntur mortui*

1. vt et quod ad corpus accipient merita  
vitae siue bene, siue male transactae.

2 COR. V, 20.

2. vt et corpori beatorum tantum addatur  
perfectionis, quantum fieri possit.

3. vt insignioris voluptatis reddantur parti-  
cipes, quam sine corpore fieri posset.

4. vt humana natura peccato corrupta, per  
mediatorem diu. restituatur tota.

5. vt iustitia diu. eo magis omnibus redda-  
tur conspicua.

ROM. II, 6.

6. vt de summa eius in omnes bonos cle-  
mentia, documenta constent luculentiora.

7. vt in vniuersum gloria diu. mirum in  
modum illustretur.

MATTH. XXII, 29.

Thef. XIV. *Tempus resurrectionis mor-  
tuorum et iudicii extremi incertum est, nec  
calculis temere definiendum.*

MATTH. XXIV, 36. Ceterum illam diem at-  
que horam nullus scit, ne caelestes qui-  
dem angeli, sed meus pater, isque solus.

2 PETR. III, 10. Veniet domini dies vt fur-  
nocte, in qua caeli interibunt, elementa  
ardentia dissoluentur, et tellus et quae-  
sunt in ea res, conflagrabunt.

Thef.

Thef. XV. *Signorum, diem extremum antecedentium, genus duplex est. Sunt alia remotiora, propiora alia.* 2 THESS, II, 3.  
1 THESS. IV, 16.

### SECTIO III.

#### DE IUDICIO EXTREMO ET DESTRUCTIONE HVIVS MUNDI.

Thef. XVI. *Resurrectionem mortuorum sequitur iudicium uniuersale.*

MATTH. XXV, 31. Cum autem venerit homine natus cum sua gloria, nec non omnes sancti angeli cum eo, tum sedebit gloria splendens in tribunali suo coramque eo congregabuntur omnes gentes, isque eos alios ab aliis separabit, quemadmodum separat pastor oves ab haedis, statuetque oves (iustos) ad dextram suam, haedos ad laeuam; deinde dicet rex eis, qui erunt ad eius dextram: *adeste beati patris mei, possidete paratum vobis regnum ab orbe condito* — — iis autem qui erunt positi in parte sinistra: *vadite a me, dicet, execrabilis in ignem sempiternum, diabolo eiusque angelis paratum.*

2 COR. V, 10. Nobis omnibus comparendum est ante Christi tribunal, ut ferat quisque iustum rationem eius, quod in corpore fecerit, vel boni, vel mali.

Thef.

Thef. XVII. *Iudex deus quidem est trinus, administrator autem iudicij Christus.*

I. Deo tribuitur.

ROM. II, 6. p. 225.

COHEL. XII, 9. Omne opus (quidquid sit) quamlibet occultum, fistet ad iudicium deus, tum bonum, tum malum.

II. Christo.

ION. V, 22. Pater iudicat neminem, sed omne iudicium filio commisit.

ACT. XVII, 31. Statuit deus diem, in quo orbem summa aequitate iudicaturus est per virum, per quem decreuit, (nempe Iesum Christum.) ACT. X, 42.

*Obs.* Angelorum in colligendis hominibus ad iudicium extremum aliquod officium fore, probari potest ex locis MATTH. XVI, 27. XXV, 31. 1 THESS. IV, 16.

Thef. XVIII. *Christus itaque iudex*

I. *saluandos homines*

1. absoluet, MATTH. XXV, 31. etc. p. 284.
2. singulisque operum bonorum, sermonum et cogitationum suarum praemia aequa decernet. 2 COR. V, 10. p. 284.

II. *condemnandis*

1. sententiam publicabit, MATTH. XXV, 31.
2. singulisque operum, sermonum cogitationumque poenas irrogabit.

ROM. II, 6. p. 225.

**I COR. IV, 5.** Ne de vlla re ante tempus temere iudicate, donec veniat dominus, qui et ea, quae tenebris occulta sunt, in lucem proferet, et animorum patefaciet confilia.

*Obs. 1.* Lex et euangelium in iudicando utrumque genere in censum veniet. Nam

**1. Iusti**

- a) absoluuntur vi euangelii,
- b) praemia accipient secundum opera, quae fecerunt, legi diu. consentanea.

**2. Reprobi**

- a. condemnabuntur vi legis diu.
- b. maiorem autem subibunt poenam, qui gratiam dei per euangelium sibi oblatam, siue neglexerunt, siue pertinaci animo repudiarunt.

**JOH. XV, 22.** Nisi ego (Christus) venissem et ad eos sermones (de rebus diu.) habuissem, in (tanto) peccato non essent; nunc peccati sui excusationem habent nullam.

**MATTH. X, 15.**

*Obs. 2.* Non modo quid fecerint homines, in censum veniet, sed et quid proximorum modulo facere potuissent.

**IAC. IV, 17.** Qui, quomodo recte faciat, nouit, nec tamen perficit, is in vitio est.

**MATTH. XXV, 42.**

*Obs.*

*Obs.* 3. Peccata hominum regenitorum non retegentur. MATTH. XXV, 34.

*Obs.* 4. De forma disquisitionis subtilius disputandum non esse, censemus. Attemperauit Christus sermonem de iudicio extremo cogitandi rationi vulgari, iisque usus est loquendi formulis, quae in foro humano adhiberi solebant.

Thef. XIX. *Iudicium extrellum sequetur sententiae executio.*

1. beati transferentur in coelum,

1 THESS. IV, 17. Nos viuentes, qui erimus superstites, vna cum eis (qui a mortuis resurgent) rapiemur in nubibus obuiam domino in aere atque sic semper cum domino erimus.

2. condemnati in infernum, MATTH. XXV, 46.

Thef. XX. *Diabolis eodem iudicio Christus poenas decernet aeternas, singulis secundum opera sua.*

1. IVD. 6. p. 76.

2. 2 PETR. II, 4. p. 76.

*Obs.* De iudicii loco nil certi tradunt oracula diuina. Veniet Christus in aere, beati per aerem illi admouebuntur. 1 THESS. IV, 17.

Thef. XXI. *Cum iudicio extremo coniuncta erit mundi transformatio.*

2 PETR.

**2 PETR. III, 10-13.** Veniet domini dies vt fur nocte, in qua coeli - - - interibunt, elementa ardentia dissoluentur et tellus et quae sunt in ea res conflagrabunt. Nos autem coelum exspectamus terramque ex eius promisso nouam, in quibus habitat iustitia atque gloria.

### MEDITATIO.

Quam auide cupit animus meus indui gloria illa et splendore corporis renouati! Quanta, deo opitulante, alacritate aliquando ex huius corporis languidi et peccatis contaminati vinculis eripiet se spiritus meus, fatus fiducia, fore, vt eadem haec membra, in terris relieta, ab omni malo purgata, splendida, gloria recuperet! Sic est! viuit redemptor meus! viuam et ego et ex hoc corpore deum video, his oculis deum adspiciam *meum*, et in eius omniumque beatorum dulci consortio puris atque sempiternis fruar voluptatibus. Fac o bone Deus, vt sancta maneat haec membra mea et tibi dicata; vt nulla hoc templum dei conspurcetur libidinum obsecnitate; vt artus mei sint instrumenta iustitiae, quibus omni industria adhibita vtar in bonorum operum studio ad diuini nominis gloriam et multorum hominum salutem. Sic laeta futurae resurrectionis spes solamen mihi praebebit efficacissimum in omnibus vitae miseriis, meque sub vitae finem ita mente corroborabit, vt mortem celso animo oppetam.

S E-

## SECTIO IV.

DE VITA ATQVE MORTE  
AETERNA.

Thef. XXII. Beati cum Christo bac ex terra transibunt in locum quendam longe iucundissimum, quem scriptura s. variis nominibus, coelum, paradisum, domum patris celestis hierosolymam superiorem appellat.

LVC. XXIII, 43. XIV, 22. IOH. XIV, 2.

EBR. XII, 22.

Thef. XXIII. Illo in loco fruentur beati felicitate omnibus numeris absoluta, quam oracula diu. nominare solent vitam aeternam, MATTH. XXV, 46. haereditatem COL. I, 12. beatitudinem aeternam, EBR. V, 9. I PETR. I, 9. IO.

Thef. XXIV. Haec felicitas posita erit.

I. In absentia malorum omnium

a. peccati I COR. XV, 49. Quemadmodum gessimus imaginem adami terrestris, ita geremus imaginem coelestis.

b. errorum saluti noxiорum.

c. morborum, egestatis etc.

¶ IOH. III, 2. Carissimi nos quidem iam dei sumus filii, tametsi nondum patet, quid et

T quales

quales simus futuri; scimus autem quum id patefactum fuerit, nos eius fore similes, eumque visuros, sicuti est.

**II.** In usu bonorum omnium, quorum recipiendorum singuli beatorum hominum erunt capaces. Potiora huius generis bona sunt

1. deum rerumque multarum atque iucundarum accurata cognitio,

2. libertas perfecta, mens semper recti amans, tranquilla, serena.

3. vires ad bonum sequendum sufficientes.

4. amor dei dulcissimus et unio cum eodem arctissima.

5. gaudii coelestis sensus iucundissimus.

6. Iesu Christi, angelorum beatorumque hominum consortium,

I THESS. IV, 17. p. 287.

7. adspectus quidam dei et Christi eiusdemque gloriae laetissimus,

I IOH. III, 2. p. 157.

8. corpus immortale, hoc nostro longe perfectius,

PHIL. III, 21. p. 282.

*Obs.* Beatos vitam non transacturos esse per inane otium, ad intelligendum proclive est.

Ceterum curiosum magis, quam utile est,

multa

multa disputare de operibus beatorum, de lingua, qua vsuri sint? etc.

Thef. XXV. *Gradus fore diuersos huius felicitatis in diuersis hominibus patet ex locis*

**I COR. III, 8.** Sator et irrigator, idem sunt  
(vterque officio fungitur suo,) vterque suam accipiet mercedem pro suo labore.

**2 COR. V, 10.** p. 284.

**ROM. II, 5-7.** p. 225.

Thef. XXVI. *Est locus quidam, quo damnati cum diabolis cruciatus sustinebunt aeternos, qui in litteris s. dicitur: ἀδητοί σκότος τὸ ἐξάτερον, γεέννα etc.*

Thef. XXVIII. *Miseria condemnatorum posita erit in eo, ut*

1. peccato futuri fint obnoxii.
2. erroribusque multis.
3. sine amore dei sincero.
4. vt timeant illum potius atque abhorreant cum tremore, conturbati peccatorum conscientia, vtque fint in confortio malorum.
5. vt cruciatus sustineant corpore perquam magnos.

*Obs.* Gradus fore horum suppliciorum patet ex locis scripturae s. ad probandam Thefin XXV. allegatis.

Thef. XXVIII. *Damnatorum cruciatus erunt aeterni.*

*Prob.* 1. MATTH. XXV, 46. p. 284.

sicuti beatitudo aeterna est, ita et condemnatio.

2. MARC. IX, 43. 44. Satius est tibi mancum in vitam ingredi aeterni aeternum, quam duas habentem manus abire in tartarum, in ignem inexstinctum, vbi nec eorum vermis interit, nec ignis extinguitur. confer IES. LXVI, 24.

3. ION. III, 36. Qui filio fidem habet, vitam consecuturus est sempiternam; qui vero filio non paret, is vita aeternae non reddetur particeps, sed super eum *manebit ira diuina.*

4. APOCAL. XIV, 11. Eorum tormenti fumus exhalabit in sempiternum, nec ullam die nocteue quietem habebunt.

(f) Proposuit deus omnibus gloriae aeternae, praemia, omnes per filium suum ab interitu vindicauit et eosdem ad summam felicitatem

consequendam, quantum fieri potest, inuitat; nec ab hac salute ullum excludit nisi qui pertinaci animo beneficium diu respuit. Si quicquid igitur sunt, qui mala sua voluntate ita delentantur, ut officiis, quibus exsequendis pares essent, neglegetis, atque aequitate et iustitia aliisque virtutibus posthabitatis, scientes et volentes interitum sibi praeparent, dei iustitiae conuenit fontes plectere, et si in aeternum peccaturi sint, poenas illis constituere semperternas. Quisnam mortalium hanc dei iustitiam reprehendere audeat? cuinam non possit dicere, quod olim ad populum Israeliticum per Iesaiam: quid faciendum mihi erat ad salutem vestram, quod non fecerim? At enim vero, dicat aliquis, "non debuerat deus creare, quos praeuideret, in aeternum plectendos esse.", Quid autem hoc aliud est, quam contendere nullum condendum fuisse mundum. Fecit deus res creatas omnes tam bonas, quam fieri poterant; si quid mali illis inest et in aeternum inherit, huius mali fontes in ipsis latent rebus creatis. Iustus est deus, si vel maxime poenas decernit fine carentes.

## MEDITATIO.

O deus omnipotens! qui benignus quidem et clemens idemque vero et sanctus et iustus es; qui peccatoris exitio non quidem delectaris, at impietatem peccatorum impunitam ne-

## 294 DOCTR. CHRIST. CAP. XIV. SECT. IV.

quis dimittere; summam largiaris nobis sapientiam illam, vt in rerum omnium finem mentis oculos nunquam non habeamus intentos, vt huius mundi vanitatem comparemus saepius bonis illis stabilibus atque permanentibus; vt probe consideremus, hanc vitam non esse nisi iter et praeparationem ad meliorem, eamque, si bene collocata fuerit, sempiterna secutura esse gaudia, si male cruciatus aeternos; quo, his aliisque piis cogitationibus quasi alis in auras se extollat animus noster; vt ad ea adspiret, quae sunt supra nos posita; vt sensus alat diuinos, et dignos iis, qui non ad fragilem hanc et caducam sed vitam sempiternam nati sunt, vt nunquam se corporis tradat voluptatibus, nec prauarum feratur impulsu libidinum, sed beneficiis diu. quorum tanta nos copia circumfluit, fruens, sobrie voluptates expectet puriores, gaudia diuina, gloriam sempiternam. His tu nos aliquando donare velis omnes o benigne pater et auctor omnis felicitatis nostrae per dominum nostrum Iesum Christum cui sit cum spiritu f. laus et gloria in sempiternum! Amen!

F I N I S.



A P-

## APPENDIX.

## CAP. I.

DE VERITATE RELIGIONIS  
CHRISTIANAE.

## PRIMVM ARGVMENTVM.

Iesum Nazarenum fuisse legatum diuinum, religionemque eius ope atque auspiciis humano generi traditam esse diuinae originis; hoc quidem fundamentum est vniuersae doctrinae christiana, ideoque firmis argumentis stabiendum. Primum argumentum petitur *a miraculis, editis a Iesu eiusque legatis.*

I. Iesum igitur Nazarenum opera insolita atque ab ordine naturae recendentia, quae miracula nominari solent, edidisse, v. c. magnae aegrotorum multitudini sanitatem, coecis visum, surdis auditum, lepra infectis corporis munditiem, nullis adhibitis remediis naturalibus, restituisse, quin imo mortuis quibusdam vitam reddidisse, probatur loco primo *testimoniis apolorum atque euangelistarum.* Hos quidem viros publice testatos esse, Iesum Nazarenum multa fecisse miracula, qui neget, fere nomen est; eorum autem testimonium fide esse dignissimum, ex his potissimum patet. Erant legati Iesu Nazareni viri honesti, morum integritate conspicui,

quod adeo clarum est, vt vel ipfi religionis christianaæ aduersarii antiquiores hoc negare non auderent. Nec defuit illis facultas iudicandi de iis, quae a Iesu fieri intelligebant. Nam non modo sermones illorum, quibus magnæ hominum multitudini persuaserunt, vt, superstitione relicta, verum Deum, quem hominum sapientissimi huius vniuersi auctorem esse intelligunt, pie colerent; sed et omnia illorum scripta, quae ad nostram peruererunt aetatem testantur, eos viros fuisse non parua rerum intelligentia praeditos. Atque idem hoc vel in primis ex eo patet, quod doctrinam generi humano tradiderunt ad animos emendandos utilissimam et efficacissimam. Atque eiusmodi homines testimonia de vita et actionibus Iesu Christi protulerunt, non subinde, nec priuatis solum in locis, sed *publice in iudiciis aduersariorum*, iis ipsis temporibus locisque, quibus rei veritas optime ab omnibus cognosci poterat, in Iudea, Samaria atque Galilaea. Ne hoc testimonio forendo *opes* nec *honores* quaerebant, nec vitae iucundae otium mereri; probe intelligentes eandem hanc ob rem multa fibi imminere incommoda, *vitae pericula, persecutio[n]es, cruciatus, honoris, libertatis, quin vitae iacturam*. Haec autem omnia illi neutram extimescebant, sed potius de Iesu Christi vita, factis, morte et resurrectione, testimonium mirabili animi alacritate, et fortitudine non modo tulerunt, sed et sanguinis profusione morteque obsignarunt ignominiosa.

II. Miracula vero supra recensita non modo  
a Iesu Naz. sed et ab eius legatis edita esse,  
patet deinde etiam ex eo, *quod eorum impri-*  
*mis vi et efficacia multa millia hominum breui*  
*temporis spatio commota sunt, ut crederent, Ie-*  
*sum esse Dei filium, religionemque ab eo fun-*  
*datam diu. originis. Iesum enim cruciaffixum,*  
*Messiam et Dei filium esse, hoc quidem Iudeis*  
*plane incredibile visum est. Cum eam ob cau-*  
*sam, quod Messiam expectabant longe alia, quam*  
*qua Iesus Naz. erat, forma praeditum, vi nempe,*  
*auctoritate, honore opibusque pollentem; tum*  
*vero etiam quod, religione Christiana stabilita,*  
*cultus Dei, Iudeis consuetus, non poterat non*  
*cessare. Qua re nihil erat efficacius ad Iudeo-*  
*rum animos a re Christiana reuocandos. Cum*  
*enim animo persuasi essent, Mosen fuisse lega-*  
*tum diu. atque religionem, eius ope stabilitam, diu.*  
*originis; fiebat inde, ut omnes, qui aliam Dei colen-*  
*di, rationem traderent, dei aduersarios esse cense-*  
*rent. Cui rei accedebat alia difficultas, quae in Iudeo-*  
*rum animis euangelicae veritati obiiciebatur. Ipsa*  
*nempe simplicitas euangelii de fide in Christum,*  
*doctrinae de operum meritis, traditionibus aliis-*  
*que opinionibus Iudeorum valde erat inimica,*  
*atque idem de Christo cruci affixo euangelium*  
*ceteris gentibus valde improbabile, quinimo*  
*ridiculum visum est. Constat enim graecos in-*  
*primis atque Romanos Iudeorum gentem tan-*  
*quam egregie stolidam et superstitionis despi-*  
*catur habuisse. Deinde difficile iisdem valde*

erat ad credendum, hominem, paßum mortis genus, quo serui et hominum abiectissimi e medio tolli consueuerant, Dei esse filium. Quae difficultas mirum in modum augebatur, cum postularent Christi legati ab his gentibus, ut propter hunc Iudaeum cruci affixum, relictâ superstitione auita sensibusque admodum iucunda, religionem, quae omnes voluptatum illecebras spernere iubet, sequerentur, eiusque gratia posthabitîs parentibus, liberis, vxoribus, diuitiis honoribusque maxima subirent vitae pericula. Fuit igitur Euangelium de Christo in crucem sublato, Iudeis offendiculum, gentibus ridicula fabula. Haec omnia probe consideranti, obscurum esse non potest, luculentissimis testimoniis, inquietisque argumentis opus fuisse ad conuincendos et Iudeorum et reliquorum hominum animos, nec sine miraculorum vi religionem Christianam ullibi stabiliri, nedum tempore adeo breui per multas terrae regiones propagari potuisse. Christianam autem religionem adeo celeriter propagatam esse, testantur Plinius Ep. XCVII. Lib. X. Tacitus Annal. Lib. XV. Cap. 44. Sueton. in Neron, Cap. XVI. Clemens Alexandr. cohort. ad gentes I, 17. Tertull. Apolog. C. 37. Patet idem ex persecutionibus, quibus ubique fere locorum religionem Christianam delere studebant et Iudei, et reliquae gentes.

III. Iesum eiusque legatos multa fecisse,  
quae ab ordine naturae stabilito recederent, hoc  
loco

loco tertio non solum ipsi Iudei \*) reipublicae Christianae hostes acerrimi, tacite, quasi aliud agendo confitentur, dum actiones supernaturales a Christo patratas, mali genii ope editas esse fabulantur; sed et idem testimonia probant *auctorum profanorum*, \*\*) qui pro iis, quibus erant imbuti religionis erroribus, praestigiis annumerare solebant miracula Christi et Apostolorum. Comprobant denique testimonia *auctorum ecclesiae primae*, virorum eruditione et pietate \*\*\*) conspicuoram, qui et ipsi in primis miraculorum vi et efficacia de veritate religionis conuicti, multa huius religionis causa subierunt vitae pericula, omnemque proinde merentur fidem. Iesum itaque aegrotos verbo sanasse, coecis vi-

sum,

\*) Vid. Eisenmengers entdecktes Iudenthum P. I. p. 249 - 760.

\*\*) Celsus apud originem Lib. I. n. 68. atque saepius. Hierocles. Vid. Euseb. contr. Hierocl. Edit. Colon. 1688, p. 512. Porphyrius, cuius libri XV. contra Christ. perierunt, fragmenta apud Euseb. Hieron. alios passim leguntur. Julianus Imperator. Vid. Cyrrill. Alexandr. contra Julian. Lib. VI. it. lib. III. variis locis. Svetonius in vita Neron. CAP. XVI. n. d. Religionem enim Christianam superstitionem appellans maleficam, miracula a primis Christianis edita non obscure beneficiis ad numerare videtur. Communis enim haec fuit gentilium falsa de miraculis opinio vid. Arnob. contr. gentes Lib. I. p. 483. Edit. Basil.

\*\*\*) Tertull. Apolog. c. 37. omnis ordinis. Iustinus Martyr. Apolog. II. Edit. Colon. 1686. p. 48. C. Quadratus apud Euseb. Histor. eccl. Lib. IV. c. 3. Tertull. Apolog. c. XXI. XXIII. XXVII. Clemens Alett. Strom. Lib. IV. §. 21. Iranaeus aduersus Haeres. Lib. II. c. 57. p. 127. Origenis vorba contra Celsum Lib. I. n. 46. p. 362.

sum, surdis auditum, leprosis sanitatem mortuis vitam reddidisse, hoc quidem historiae testimoniis satis superque comprobatum est. Iam vero facili negotio inde colligitur, eum fuisse legatum diuinum. Nam omnes has et reliquas vitae actiones suscepit ad *gloriam Dei veri illustrandam* eiusque cultum stabiliendum. Nec *remediis* usus est iis, quorum vi insita et naturali tantas res perficere potuisset, saepissime enim *voluit* modo et iussit fieri, quod miseri ab eo petiissent, et factum est. Atque harum actionum plurimas *publice* peregit; *multasque* frequenter per totum triennium et quod excurrit, variis et *multis in locis*, in *conspicuum multorum hominum*, quinimo *aduersariorum* suorum. Nec extitit post Iesum, (si ab ecclesiis eius recesseris) *hominum ullus*, qui talia facere potuisset, aut ad *gloriam summi numinis promouendam* fecisset. Vi itaque diuina, Iesum siue praeditum, siue adiutum, ideoque *legatum diuinum* fuisse, hoc certum est, atque extra omnem dubitacionis aleam positum.

## ARGUMENTVM SECUNDVM.

*Quod oritur ex vaticiniorum impletorum consideratione.*

Vt hoc argumentum firmo stet tali, ante omnia nobis probandum est: Libros Mosis Prophetarum, et Psalmos diu ante Christi nativitatem fuisse compositos. Atque hoc colligitur

tur vel in primis ex eo quod circa Ptolemaei Philadelphi tempora in Graecam linguam versi sunt libri Mosis, Prophetarum et Psalmi cum reliquis scriptis V. T. Constat deinde ex omni Iudeorum historia, ex Iosepho, \*) Philone, Syracide CAP. XLV, aliis. Patet denique ex ipsa ratione, qua vñi sunt Iesu Christi legati in propaganda religione. Solebant enim viri diuini in conficiendis pro veritate stabienda argumentis, ita versari, vt ex veteris testamenti libris, qui in omnibus Iudeorum manibus erant, notas et signa colligerent, quibus Messias, Israëlitis a deo promissus, cognoscendus erat; deinde vero monstrarent, haec signa deprehendi in Iesu Nazareno. In his enim libris diu ante Christi nativitatem editis confignata sunt vaticinia sequentia: fore, vt ab homine quodam reliquo praestante, ex Abrahami posteris oriundo, Dei veri notitia vna cum remediis, quorum vñi ad veram peruenire possint homines salutem, offerantur omnibus gentibus \*\*) atque hunc hominem nasciturum esse ex tribu Iudaica, oppido Bethlehem, ex familia Dauidica \*\*\*) etc. Doctorem fore celebrem atque vatem; \*\*\*\*) auctorem coetus cuiusdam per totum terrarum orbem colligendi, et ad puriorem religionem conuertendi, seu regni , spī.

\*) Contra Appionem Lib. I. 8.

\*\*) Gen. XII, 3.

\*\*\*) Gen. XLIX, 10. Mich, V, 1. 6<sup>te</sup>. Ies. VII, IX.

\*\*\*\*) Deut, XVIII, 15.

„ spiritualis regem et gubernatorem; \*) eum  
 „ multis fore magnisque miraculis celebrem. \*\*)  
 „ Nihilominus iri spretum atque reiectum a gen-  
 „ te eadem, quae diu eum expectasset; crucia-  
 „ tibus multis magnisque exantlatis, subiturum  
 „ mortis genus ignominiosum; iri tamen se-  
 „ pultum ab hominibus auctoritate et opibus  
 „ praeditis. Fore denique ut in vitam restitu-  
 „ tus, forma religionis antiquae mutata et noua  
 „ Dei colendi ratione in toto terrarum orbe in-  
 „ staurata, ipse honore diu. afficiatur. ., \*\*\*)  
 Quisnam mortalium has res adeo mirabiles,  
 quin, ut visum multis est, *sibi contrarias*,  
 praeuidere potuisset? Quisnam res humanas ita  
 dirigere, ut Iesus Nazarethae conceptus, Beth-  
 lehami nasceretur; ut is, qui cultus diu. faciem  
 in toto terrarum orbe mutaturus esset, sicuti  
 praedictum erat, non ex alia quam Dauidis fa-  
 milia oriretur; ut suppicio affectus ignominio-  
 so nihilominus sepeliretur a diuitibus; ut e se-  
 pulchro in vitam reuocatus et denique in coe-  
 lum sublatus, per legatos suos adeo incredibi-  
 lem in orbe terrarum faceret religionis commu-  
 tationem? Quisnam res humanas ita gubernauit,  
 ut haec omnia, in vatum diuinorum libris de  
 Christo consignata, adeo mirifice in Iesu Naza-  
 reno conspirarent? Atque quantum illud est,  
 quod, a vatibus diuinis praedictum fuit, fore,

vt

\*) Ief. XLIX, 5. etc. LIII, 10.

\*\*) Ief. XXXV, 5.

\*\*\*) Ief. LIII, Ps. LXXII. Ps. XC, 1.

*vt vi atque doctrina Messiae deorum cultus in omnibus terrae regionibus sensim sensimque exstirparetur.* \*) Hominem enim Israeliticum tantam rerum sacrarum commutationem vñquam efficere posse, *numne eo tempore, quo praedictum est,* verosimile fuisse credas? Hoc tamen factum esse, atque hodienum fieri, et historia est testis, et experientia loquitur.

Vltimum denique vaticinorum genus, quod christianaे religionis veritatem comprobat ad iudaicae gentis fata pertinet. Moses enim et Ieremias vaticinati sunt, Israelitarum gentem inter omnes reliquas terrae nationes iri dispersum, ignominiaque affectum. \*\*) Daniel praedixit fore, *vt vrbe Hierosolymitana post CCCCXC annos iterum deleta, sacrificiorum ritus in gente Iudaica recepti, in perpetuum tollantur.* \*\*\*) Haec autem vaticinia a Christo repetita, aucta et confirmata, accurate impleta sunt, quinimo quae in iis praedicebantur, hodienum, experientia teste, eueniunt. Omnes enim reliquae gentes antiquae, quarum reipublicae non euerfae sunt, siue suis finibus includuntur, siue raro inueniuntur in aliis terrae regionibus. Vna ex omnibus Iudeorum natio inter reliquas gentes in toto terrarum orbe dispersa est, vbiique

con-

\*) Pf. II, 8. Pf. LXVIII, 32. etc. LXXII, 11. 17. XCVII, 7. etc. Ief. XLV, 9. 22. 23. XLIX, 5. Ief. LII, 2. LXV, 1. 17. claris autem verbis Zeph. II, 11.

\*\*) Deut. XXVIII, 64. Ier. XXIV, 9. XXIX, 18.

\*\*\*) Dan. IX, 24. 27.

contumelis afficitur, nullibi neque principem habet, nec rempublicam; ab omnibus populis discreta, omnibus feruit, nec tamen vi unquam deleri potuit, quamuis, multis magnisque saepius stragibus in hac gente editis, infinita eius copia perierit. Quotusquisque est quin intelligat hac in re versari mirabilem prouidentiam Dei, confirmantis veritatem religionis, vindicantis filii sui honorem et gloriam, tandem ab omnibus gentibus celebrandam.

## ARGUMENTVM TERTIVM.

*Prosciscitur a vi et efficacia doctrinae Christianae.*

Viri multi iisque et eruditione celebres, et florentes auctoritate, magno olim studio ad gressi sunt, emendare religionem et mentes hominum; sed enim eorum conatus maximam partem caruerunt fructu. Christus eiusque Apolloni ab omni eruditionis laude alieni et auctoritate opibusque destituti, vi doctrinae, quae *Iudeis offendiculo, et gentibus ludibrio fuit*, breui temporis spatio, multa hominum millia a superstitione reuocata, meliori rerum diuinarum notitia imbuerunt, atque eorundem animos ita formarunt, ut ex libidinosis, impuris, iniustis, auaris, rapacibus, feditiosis, casti fierent, iusti, benigni, misericordes et legibus obedientes. Nec has animorum et rerum s. mutationes una in gente effecit euangelii doctrina, sed magnis Asiae et Africae quondam partibus eandem felici successu

ex-

exferuit salutarem vim; totam Europae faciem commutauit et ex feris antea incolis mansuetos reddidit, pacificos, et multis aliis, insignibusque virtutibus praeditos. Has tantas et rerum et animorum mutationes humano generi adeo salubres, quotusquisque est, qui credere sustineat, ab errore, a superstitione, ab ingenii humani figmentis profectas esse, et non potius a deo, fonte omnium bonorum?

## QUARTVM ARGUMENTVM.

Supereft denique vltimum argumentum, quo quidem non alios, sed tamen nos ipfos de veritate religionis christiana conuincere et animum nostrum in fide confirmare possumus; quodque ntititur *sensu quodam interno*; cuius rei exemplum exstat in eo sensus genere, quo intelligimus, fieri non posse, vt res aliqua sit atque simul non sit. Sicut enim hoc, quod dicunt contradictionis, seu repugnantiae principium, fine omni vteriori argumentatione, verum esse fentimus; sic qui euangelii doctrina imbuti, eius vim animo enendato experti sunt, sensu quodam veritatis ita afficiuntur, vt de veritate huius doctrinae dubitare nequeant. Quocum veritatis sensu obscuro coniunctum est ratiocinium quodam huius argumenti: „Vi et ope huius doctrinae euangelicae peccatorum conscientia liberatus, animo emendatus, viribus ad vincendas libidines, ad colendas omnis generis

„virtutes instructus, ad huius vitae miseras  
 „patienter menteque excelsa ferendas aptus  
 „redditus sum: ipso itaque sensu, huius doctrinae  
 „nae vim et efficaciam experior saluberrimam.  
 „Atque si nemo, qui numen aliquod esse credit  
 „supremum, dubitat, an solis lumen, siue terrae  
 „fructus a Deo auctore proficiscantur, quia humanae  
 „mano generi adeo insignes et varios praestant  
 „stant usus, eorumque vi et vitam sustentamus,  
 „et fani, robusti hilaresque reddimur: qui fieri  
 „possit, ut ego dubitem, religionem christianam  
 „diuinitus humano generi datam esse, cum eius  
 „virtute, nouis instructus virtutibus, multa  
 „magnaque beneficia consecutus sum?,, Ad hunc  
 veritatis sensum atque animi persuasionem  
 accedit in hominibus piis operatio quaedam spiritus f. illos hac in persuasione ita confirmantis, ut omnibus dubitationibus superatis, de doctrinae christianaee veritate ipso animi sensu conuicti et aequi certi sint, ac se vivere, cogitare, audire, videre sentiunt.



## CAP. II.

## DE SCRIPTURA SACRA.

I.

*Libri Euangelistarum atque Apostolorum, quorum collectio Noui Testamenti nomine insigniri solet, ab auctoribus iis, quibus tribuuntur, scripti, et certum religionis christianaee sunt fundamentum.*

Nititur huius rei veritas historiae testimoniiis, ad fidem gignendam sufficientibus. Quotusquisque enim est, qui dubitet, Ciceronis epistolas, Virgilii, Horatii libros ab hisce compositos esse auctoribus? Apostolorum autem et Euangelistarum libri ab antitistibus ecclesiae et reliquis hominibus christianis cura longe maiori solebant custodiri, quam plurima auctorum profanorum scripta; a legatis enim diuinis de maximis rebus, salutem aeternam spectantibus, scriptos esse intelligebant atque certa mentis persuasione credebant. Deinde vero auctores facri christianos coetus nonnumquam inuiserunt, qua occasione facultas illis dabatur libros suos inspiciendi eosdemque confirmandi. Non autem magna solum cura adhibita hi libri custodiebantur, sed et in publicis conuentibus praelecti, apographis multis saepius exarati, aliisque coetibus communicati sunt; qua re fiebat, vt mirum in modum augeretur copia testium nobis hac in re fidem facientium. Versionibus horum librorum e. c. Syria-

ca, latina, aliis, tandem editis, fraudi locus relietus est fere nullus. Deinde multa circumspetione vsos esse christianos arduo in hoc negotio dignoscendorum librorum diuinorum ab humanis, ex eo patet, quod spuria reiicerent atque nonnulla vix admitterent, quorum tamen origo diuina postea plurimis comprobata est. Libri nempe \*) noui Testamenti, quorum indubia semper fuit auctoritas, sunt sequentes: quatuor Evangelia vna cum actis Apostolorum. Paulli epistolae omnes, excepta ea, quae ad ebraeos inscripta est. Prima Petri; prima Ioannis. De secunda Petri, secunda et tertia Ioannis, de epistola ad Hebreos, Iacobi, Iudee et Apocalypsi variae ortae sunt secundo et tertio saeculo disputationes. Quarum controversiarum ea vis est, ut et iudicium nostrum de reliquis libris noui Testamenti confirmant, et probent, hos septem libros non sine multa cautione adhibita, reliquorum scriptorum diu. collectioni infertos esse. Quicquid vero tandem de libris, quos *deuterocanonicos* appellant, eruditi quidam iudicent, hoc tamen certum manet et extra omnem dubitationis aleam positum, priores illos libros ab iis exaratos esse diuinis auctoribus, quibus vulgo tribuuntur.

Iam

\*) Librorum ab Evangelistis et Apostolis scriptorum collectio *Noui Testamenti* nomine, ut notum est, compellari solet: quod nomen originem duxit in primis ex consuetudine Apostoli Paulli et aliorum doctorum, non modo Oeconomiam Mosaicam Ebr. VIII, 13. sed etiam Mosis, Prophetarum et reliquos iudaicæ ecclesiae libros sacros *Vetus Testamentum* appellatum. 2 Cor. III, 14.

Iam vero, cum capite huius appendicis primo satis superque probauerimus, Iesum Nazarenum eiusque apostolos *legatos fuisse diuinos*; sequitur inde sua sponte, doctrinam, quam in libris suis exposuerunt, veram atque historiam de vita et rebus gestis Iesu Christi omni fide dignam esse. Sunt ergo haec *legatorum diu. scripta certum fidei et religionis fundamentum*. Vide Cap. XLVI. *Historiae relig. reu. succinctae.*

## II.

*Libri veteris testamenti, quales ad nostram metatem pervenerunt, sunt omni fide digni et alterum religionis et fidei principium certum.*

Inter omnes constat Iesum Christum eiusque legatos et omnes ecclesiae christ. antiquissimae doctores, libros eos, quos appellare solebant Iudei ἄγια γράμματα, seu sacram scripturam, pro certo ac indubitato fidei fundamento habuisse. Christus enim non solum illorum auctoritate in sermonibus suis auditorum animos conuincere conabatur, sed expressis etiam verbis eorundem fidem et auctoritatem confirmavit. Sic e. c. Matth. V, 17. se non venisse, inquit, vt legem et prophetas (hoc est sacram scripturam Iudeorum) auctoritate pruaret, sed vt impleret legem et yaticinia in iisdem, de se consignata. Eandem ob caussam Iudeos hortari solebat, vt sedulo legerent Mosis et prophetarum libros, quia eorundem sensum indagando, intelligerent, se esse illum, de quo

vates scripsissent. Ioh. V, 39. Eodem sermone Israelitas reprehendit, quod Mosi fidem non haberent; alio autem tempore contendit, qui ea esset mentis prauitate, vt Mosis et prophetarum libris fidem non haberet, eum conuinci non posse, si vel homo aliquis, a mortuis resuscitatus, ei fidem facere vellet. Luc. XVI, 29. Haec autem Iesus non modo ad Iudeas locutus est; sed eadem ratione solebat vti cum in vitam reuocatus discipulos suos institueret; vide Luc. XXIV. Pari modo discipuli Iesu Christi doctoris sui uestigiis semper inherentes, librorum vet. testamenti auctoritatem stabiluerunt; quod satis superque constat ex locis permultis Actorum Apostolorum, epistolarumque a Paulo et Petro \*) scriptarum. Vnde colligitur Christianum et legatos suos librorum sacrorum vet. testamenti, quales ea aetate in Palaestina vulgo circumferebantur, fidem auctoritate sua confirmasse. Atqui vero hos libros quod ad *summam eorundem et argumentum pertinet integros* ad nostram aetatem perlatoſ effe, firmis probari potest argumentis. Ne enim horum librorum insignis aliqua corruptio fieret, prohibuit vel in primis studium singulare, quo Iudei incensi erant, horum librorum conseruandi particulas vel minimas; deinde vero sacrum eorundem et incredibile odium aduersus Christianos pariter atque doctorum christianorum cum Iudais perpetua

\*) 2 Tim. III, 16. etc. 1 Petr. I, 10. Actorum II. III. IV. VII. XXVIII. 28.

petua contentio. Qui enim fieri potuisset, ut  
praeclara quaedam et principalia librorum vet.  
testamenti loca, sive a Iudaeis siue a Christianis  
corrumperentur, cum utriusque iisdem siue he-  
braicis siue graecis libris eorundemque versionibus  
uterentur? Hac igitur ratione libri diuini et in  
Iudeorum Synagogis et in ecclesiis christianis  
per totum terrarum orbem dispersis, quod ad  
argumentum et suumattam attinet integri con-  
seruati sunt. Nec est, ut de numero horum libro-  
rum acriter certemus. Sufficit tenuisse hoc:  
*Christi aetate totum vet. testamenti codicem fuisse*  
*diuisum in libros viginti duo; quorum nume-*  
*randonrum ratio haec fuisse fertur: Quinque libri*  
*Mosis, quatuor prophetarum priores, Iosuac nempe liber,*  
*Iudicum Samuelis uterque Regum uterque. Quatuor*  
*libri prophetarum posteriorum: Iesaiæ, Ieremiac, E-*  
*zechielis, duodecim prophetarum minorum, quorum*  
*libri uno comprehensi fuerunt volumine; nouem*  
*denique Hagiographa, quorum recensendorum*  
*licet ratio diuersis locis diuersa fuerit, hoc ta-*  
*men certum, Psalmos, Proverbia. Ecclesiasten,*  
*Iobum, Daniel, libros Chronicorum et Threnos*  
sub diuinorum librorum nomine fuisse compre-  
hensos, nec rationes prostare validas, ob quas  
ceteri libri e. c. Esdras Nehemias etc. ab horum  
societate excludantur. His in libris omnibus  
quamuis sint loca permulta siue incuria eo-  
rum, qui codices scriebant nouos, siue vetu-  
state et tempore, in singulis verbis subinde lectio-  
nis varietate laborantia, doctrinae tamen mo-

*rum et fidei tam multis locis repetitae, tamque distinctis expressae sunt verbis, ut ex iisdem summa aliqua christiana doctrinae accurata non modo colligi, sed et singulae fidei doctrinae firmissimis probari possint argumentis.*

## III.

*Libri noui pariter atque veteris testamenti divinitus sunt inspirati.*

Si dicimus hos libros diuinitus esse inspiratos, hoc ita intelligimus, *deum auctorum sacrorum animos sic affecisse, ut has, quas litteris consignarunt res, nec alias, his, nec aliis verbis scriberent.* Atque Deum hoc effecisse peculiari quadam agendi ratione, *vi spiritus s.* Nec alios existare hodienum libros, qui eadem ratione consignati sint.

I. Veteris quidem testamenti codicem uniuersum ab auctoribus divinitus inspiratis hac ratione compositum esse, patet vel in primis ex loco 2 Tim. III, 16. quo Paullus docet: totam scripturam s. \*) quae ea aetate in Iudeorum hebraicorum manibus versabatur, diuinitus esse inspiratam.

II. Libros autem noui testamenti parimodo ab auctoribus scriptos esse diuinitus inspiratis, eo magis clarum est, quod Christus Apostolis

\*) Licet igitur librorum quorundam vet. testamenti auctores ignoti sint, hoc tamen non impedit, quo minus eosdem pro diuinis habeamus; cum omnes libri huius codicis Christi et Apostolorum auctoritate confirmati sint.

lis suis saepius promisit, fore, ut spiritus s. illos imbuat omnium rerum notitia, quae sit necessaria ad munus suum feliciter gerendum. Ioh. XV, 26. XVI, 13. 14. 15. Atque hunc spiritum mansurum in animis suis Ioh. XIV. illisque suppeditaturum rerum sensus et verba, ut sciant, quid et quomodo loqui debeant, cum coram iudiciis constituti, euangelii caussam acturi sint. Quod si uero Apostoli hoc diuino inspirationis beneficio gaudebant in sermonibus habendis, quanto magis credibile est, illos eodem usos esse cum litteris consignarent doctrinas, quarum notitia ad salutem totius generis humani erat necessaria? Cum praeter haec Paulli testimonio 2 Tim. III, 16. constet, totam scripturam veteris testamenti diuinitus esse inspiratam; quidni eandem praerogatiuam credamus competere libris noui testamenti, scriptis a legatis diuinis, donis exornatis longe excellentioribus, quam prophetae ante Christi nativitatem viuentes? (2 Cor. III.) His igitur aliisque rationibus commoti, doctores ecclesiae christianaee antiquissimae apostolorum scripta eadem reuerentia prosequuti sunt easdemque ab humanis scriptis seiuixerunt cura simili, quam olim ecclesia Israelitica libros propheticos. Quod si vero vel maxime his argumentis probari non posset, (quod tamen satis superque probatum esse censemus) apostolorum libros esse singulari quadam ratione scriptos atque diuinitus inspiratos, effent tamen nihilominus certum et firmum fidei fundamentum,

quia argumentis comprobatum est validissimis, eos ab iis ipsis scriptos esse viris, qui religionis christianaे veritatem non modo testimoniis suis omni fide dignis, sed et (quod de plurimis valet) multis cruciatibus et morte stabiliuerunt cruenta.

## IV.

*Librorum, qui dicuntur apocryphi, auctores inspirationis beneficio non fuerunt praediti.*

I. Nominis, quo appellari solent hī libri, cauſas doctores in medium proferunt varias. A veritate proxime abesse mihi videtur haec: Iudeos graecos (seu hellenistas) inter et Ebraeos varias intercessisse in rebus s. diffensiones, notum est. His ideo libris, siue ab auctoribus graecis graeca lingua compositis, siue in eandem ex hebraea versis, Iudaei hebrei in sacros conuentus aditum denegarunt, eos denique libris adnumerarunt, quos, quia publice legere vietum erat, *vetitos et abscondendos* Iudaei appellabant. Hellenistae autem et Latini hos libros, sensim conuentibus s. illatos, eadem ac reliquos diuinos veneratione coeperunt colere. Hac opinione ad quosdam ecclesiae primae doctores delata, sub reipublicae christianaे auspiciis hī libri ideo a multis habitu sunt pro inspiratis.

II. Libros autem apocryphos diuinitus inspiratos non esse, probatur contra *Pontificios* primum ex eo, quod Christi aetate Iudeorum Palaestinam colentium canoni Vet. Testamenti non

non erant inserti, ideoque nec ab eodem confirmati \*); deinde vero quod multis in locis libris diuinitus inspiratis non consentiunt auctoresque produnt humanos. *Liber enim Judith* probat homicidium Simeonis et fratrum cap. IX, 2. contra GEN. XLIX, 5. *Liber Sapientiae* cap. XVI, 21. pugnat cum EXOD. XVI, 31. de Manna sapore. Auctor se venditat pro Salomone quod contrarium est testimonio antiquitatis et pugnat cum cap. XV, 14. nam sub Salomone Iudei aliis gentibus non erant subiecti. *Liber Tobiae* cap. VI, 20. etc. superstitionem prodit, liber totus fabulas sapis iudaicas. *Iesus Siracides* cap. L. 1-12. puerilem habet orationis ornatum; eodem capite commate 27. 28. iniquum prodit erga gentes odium. C. XLVIII, 10. falsam tradit interpretationem de Elia venturo. Auctor Lib. I. Macabaeorum ipse fatetur, suo tempore nulos fuisse prophetas, seu viros theopneustos cap. IX, 27. Lib. II. c. XIV, 42. laudat autochirian. Lib. II. c. XV, 39. fatetur, set tantum fecisse, quantum pro sua *potuerit imbecillitate*. Has igitur aliasque multas ob rationes, nos censemus atque credimus libros veteris et noui testamenti, a deo inspiratos, vnicum esse fontem et principium cognoscendarum et diiudicandarum veritatum salutarium, omniaque continere, quae hominibus scitu sint necessaria, vt mente emendati, vitae aeternae fiant participes; nec traditiones, nec scriptorum eccle-

\* ) Vide JOSEPHI locum contra Apion. supra a nobis explicatum.

ecclesiae primae libros, nec pontificum romane-  
rum et conciliorum decreta eam habere vim,  
ut ex iisdem siue nouas condere ulli liceat fidei  
et morum doctrinas, siue abrogare eas, quas  
scriptura. f. continet.

Verbum dei maneat semper lux men-  
tes nostras colluistrans pariter atque puri-  
ficans: est enim euangelium Christi diuina vi  
praeditum emendandi hominum animas, conso-  
landi, regendi, atque ad omne virtutis studium  
excitandi. Haec vna fit fidei et vitae nostrae  
constans et certa regula, ad quam nostra com-  
ponamus confilia atque opera, vsque dum ad id  
pertingamus scientiae atque omnis felicitatis fa-  
stigium, quo non amplius verbis et imaginibus  
obscuris, sed clarissima luce res ipsas videamus  
et aeterna fruamur beatitudine. Sancte Pater!  
sanctifica nos in veritate tua, verbum tuum  
est veritas. Amen.



CON-

CONSPECtVS  
TOTIVS LIBRI.

---

DOCTRINAE CHRISTIANAE  
COMPENDIVM,

Cap. I. de Deo.	1
eoque trinuno.	26
Cap. II. de creatione, conseruatione et gubernatione.	
Sectio I. de creatione.	42
Sectio II. de conseruatione et gubernatione seu prouidentia.	52
Cap. III. de Angelis.	68
Sectio I. de angelis bonis.	69
Sectio II. de angelis malis.	75
Cap. IV. de conditione hominis ánte lapsum, seu imagine diuina.	82

Cap.

<b>Cap. V. de conditione hominis lapsi, seu de peccato.</b>	<b>90</b>
<b>Sectio I. de peccato quod primi homines commiserunt.</b>	<b>90</b>
<b>Sectio II. de peccato in genere eiusque speciebus.</b>	<b>104</b>
<b>Cap. VI. de Christo.</b>	<b>117</b>
<b>Sectio I. de eo, quod Iesus Nazar. verus Meſſias fit.</b>	<b>117</b>
<b>Sectio II. de persona Christi.</b>	<b>127</b>
<b>Sectio III. de statu exinanitionis.</b>	<b>136</b>
<b>Sectio IV. de statu exaltationis.</b>	<b>140</b>
<b>Sectio V. de officio Christi prophetico.</b>	<b>149</b>
<b>Sectio VI. - - - - facerdodali.</b>	<b>153</b>
<b>Sectio VII. - - - - regio.</b>	<b>162</b>
<b>Cap. VII. de Praedestinatione.</b>	<b>167</b>
<b>Cap. VIII. de emendatione hominis per operationes Spiritus S. seu de gra- tia.</b>	<b>177</b>
<b>Sectio I. de virium naturalium insufficien- tia ad emendandum animum, seu de libero arbitrio.</b>	<b>177</b>

Sectio

Sectio II. de gratia in vniuersum; seu introductio vniuersalis in doctrinam de operationibus Spiritus S. quibus hominum mentes emendantur.	182
Sectio III. de vocatione.	186
Sectio IV. de conuersione seu poenitentia, quae contritione continetur et fide.	195
Sectio V. de illuminatione.	202
Sectio VI. de regeneratione.	204
Cap IX. de Iustificatione.	209
Cap. X. de statu hominum regenitorum.	216
Sectio I. de vniione mystica.	216
Sectio II. de sanctificatione et renouatione.	220
Sectio III. de bonis operibus.	225
Cap. XI. de verbo dei eiusque vi et efficacia.	233
Cap. XII. de Sacramentis.	244
Sectio I. de Sacramentis in vniuersum.	244
Sectio II. de baptismo.	247
Sectio III. de sacra coena.	253
Cap.	

—————  
**Cap. XIII. de ecclesia diuersisque ordinibus hominum eandem constituentibus.**

<b>Sectio I. de ecclesia.</b>	<b>265</b>
<b>Sectio II. de ministerio ecclesiastico.</b>	<b>268</b>
<b>Sectio III. de magistratu politico.</b>	<b>273</b>

**Cap. XIV. de morte, resurrectione, iudicio extremo, vita et condemnatione aeterna.**


<b>Sectio I. de morte naturali.</b>	<b>275</b>
<b>Sectio II. de resurrectione mortuorum.</b>	<b>279</b>
<b>Sectio III. de iudicio extremo et destructione huius mundi.</b>	<b>284</b>
<b>Sectio IV. de vita atque morte aeterna.</b>	<b>288</b>

**A P P E N D I X.**

**Cap. I. de veritate religionis christianaæ.**

**Cap. II. de scriptura C.**





8°  
14